



00



P

Im

GASPARIS SCIOPPII  
**M I N E R V A**  
SANCTIANA  
IMPVGNATA AC REFUTATA  
AB  
AVGVSTINO MARIA DE MONTE,  
SAVONENSE,  
VNA CVM HVIVS  
**LVDIMAGISTRO**  
SEV  
**GRAMMATICORVM**  
APOLOGIA,

NEC NON

QVIBVSDAM SACRAE SCRIPTV-  
RAE LOCVTIONIBVS, QVAE IMPE-  
RITIS ET INDOCTIS PARVM LATINAЕ  
VIDENTVR.

SECVNDVM EXEMPLVM ROMANVM  
RECENSUIT ET PRAEFATVS EST  
IOANNES ERHARDVS KAPPIVS.

---

LIPSIAE

APVD IOAN. FRIDERICI BRAVNII  
HAEREDES. M DCC XXIII.

4

GASPARYS SCIOBPII

# MINERIA SANTO

# AGASTHING MARIAD MONTE


CHARACTERES DIVERSOS SACRAE SCRIPTA

THE POSITION OF THE STATE IN THE  
POLITICAL UNION.

JOANNES ERHARDUS KELLIAS

卷之三十一

WEDDING LOAN - A DEDICATED  
TO THE MEMORY OF



Lectori Beneuolo

S. P. D.

IOANNES ERHARDVS KAPPIVS.

**E**Vulganti iam mihi primum in Germania binas has Clarissimi MONTII diatribas, quarum altera Scioppii Mineruam Sanctianam impugnare ac refellere conatus est, altera Grammaticorum caussam defendendam in se suscepit, & hanc, quam vides, *Apologiam*, pro iis conscripsit, nec a praesenti instituto, nec ab ingenio meo alienum esse videtur, ea in hac praefatione praemittere, quae te scire tua meaque interesse existimo, nec saltem ingrata Tibi prorsus futura, certus confido.

Nondum quatuor effluxere hebdomades ex quo in luculentissimam Latinae Linguae Grammaticam, in Latium scilicet Restitutum, seu Latinam linguam in veterem restitutam splendorem, opera & industria Augustini Mariae de Monte, Sauonensis, Romae c15 10ccxx. ex typographia Antonii de Rubeis in 8. publicatam, non sine permagna animi mei laeti-

## PRAEFATIO EDITORIS.

tia incidi. Nec solum magnificus hic, & praeclara quaeque promittens titulus, & duo alii, quorum uno hoc Latium Restitutum in libri primi exordio Grammaticam vetustissimam & nouissimam unam, altero, iisdem fere verbis, in fine libri duodeuicesimi, Grammaticam (a) Grammaticarum vetustissimam & nouissimam unam appellauit, sed etiam censoris approbatio, Diarii Veneti commendatio, (b) auctoris ipsius praefatio, & denique ipsa operis moles, centum quippe, ni fallor, & triginta octo plagulis absoluti, ac magnitudine propterea vix vni nostri aeui Grammaticae secundi, uti quemuis Latinae linguae cultorem, ita etiam me, ad opus ipsum euoluendum, & cum cura perlegendum, facile inuitare potuerunt. Euoluui etiam illud non sine cura, nec me euoluisse vñquam poenitebit, paginarum tamen angustia, cui praesens includenda est praefatio, prohibe or, quo minus ea, quae memoratu digna, quaeque obelo in illo notanda mihi videntur, hic loci in medium producam, alio fortasse loco, in posterum a me producenda. Dicam potius in praesentia de auctore

(a) p. 2027. (b) Giornale de' Letterati d' Italia, Tomi tricesimi tertii Parte secunda art. XIII. p. 514.

PRAEFATIO EDITORIS.

aetore ipso, deque eius vti aliis scriptis, ita & in primis de hoc *Latio Restituto*, nec tam meis, quam potius censoris, diarii Veneti, & auctoris ipsius verbis vtar, pauca tamen in eius dissertationem Criticam in Scioppi Minerviam Sanctianam animaduersurus, instituti huius rationibus a me explicatis.

Auctoris nomen, Grammatici Romae nunc florentissimi & celebratissimi, pri-  
mum fortassis Alpes cum opere Hetrusco,  
compendio nimirum Memoriarum Histo-  
ricarum Sauonae, patriae suae, transuolasse  
existimo, cuius titulum (c) me aliquan-  
do in *Langleti Fresnoii Catalogo praecipuo-  
rum Historicorum*, ab illustri MENCKE-  
NIO nostro, vti constat, locupletato (d) le-  
gere memineram. Vnde ergo, inquiet  
forte aliqui, plura de auctore, deque aliis  
eius scriptis, quae Te hic exhibitum esse  
promisisti, haurire poteris? Hic ignoran-  
tiam meam ingentiae fatear necesse est, mihi  
de auctore, eiusque aliis scriptis, nihil con-  
stitisse, praeterquam de historia Sauonen-  
iam adducta, at reperissem tamen forte de  
iis nonnulla, si diaria Hetrusca, & id genus

a 3 mo-

(c) *Compendio di memorie Storiche di Sauona*. 8. Romae  
1697. (d) p. 404.



PRAEFATIO EDITORIS.

monimenta perquirere animus fuisse. Verum enim uero ipse met clarissimus Auctor in hoc labore otia mihi fecit, ut pote qui in distractis, huic *Latio Restituto* adiectis, sui sutorumque aliorum scriptorum aliquoties mentionem facere, e re sua existimauit.

Natus autem est doctissimus noster *Monius* Sauonae, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto (e) atque nunc annum sexagesimum sextum vel agit adhuc Romae, vel iam expleuit. Postquam in patria sua in sacras litteras per aliquot annos sedulo incubuerat, & in Theologia quoque Pontificia haud contemnendos prosectorus fecerat, more solemni sacerdotio initiatus est, quo facto ei P. Magister Garrassinus, praefectus seruorum B. Mariae, imposuit, ut toto quadragesimali tempore per omnia

Sab-

(e) Id quod patet ex eius verbis in *Latio Restituto* p. 140.  
allatis, opportune an praepostere in hac Grammatica  
nunc non quero? Quanta sit nitrati pulueris vis, &  
quantum ruinæ secum trahant cuniculi, id quod ego an-  
num agens decimum nonum perspexi, a scribendo non ab-  
horreo. Decurrebat annus M D C LXXXV. & tertius a  
secundo Allobrogum bello in Liguriam illato, cum Ra-  
phaelini de Turre, Patricii Genuensis, viri facinorosi,  
& ob multa facinora proscripti, in publicam libertatem  
conspirantis perditissimis macbinationibus Sabaudiae  
Dux ausultans, Savonam sibi suisque magnis commodis  
seruituram, facile fore, id sibi persuasum habuerat &c.

PRAEFATIO EDITORIS.

Sabbatha concionem de doloribus Mariae  
in templo Seruorum eius Sauonensi habe-  
ret, quod etiam aliis occasionibus non inter-  
misit. (f) Breui interiecto tempore, litte-  
ras ab Episcopo Sauonensi subscriptas acce-  
pit, facientes fidem de eius moribus, de  
scientia & de facultate ad biennium ei data,  
audiendi Sacramentales confessiones. (g) Nec  
minori industria ibidem litteras humanio-  
res excoluisse nostrum Augustinum, testes  
sunt litterae Vniuersitatis, quam vocat, Sauo-  
nensis, in quibus, eum Latinae & Hetruscae  
eloquentiae, nec non historiis describendis,  
aliisque facultatibus operam nauasse, ora-  
tiones panegyricas saepè saepius in ea vrb<sup>e</sup>  
& alibi habuisse (h) affueratur. Nec in alio-  
rum testimonii adquiescere voluit noster  
Montius, sed ipse industriae suae sive in-  
genii monumentum in adolescentia Ge-  
nnuae edidit, libellum nimirum, in quo fa-  
cram representationem apparitionis B. Ma-  
riae virginis in agro Sauonensi Antonio  
Bottae, simplici proboque colono, factae, de-  
scripsit. Descripsit etiam illo tempore iuf-

a 4

su

(f) vid. dedicationem partis I. Lat. Restitutia 3. (g) vid.

Ludimajstrum seu Apologiam Grammaticorum nostrarum  
editionis p. 29. (h) vide eius Ludimajstrum l.c.

(i) lib. cit. p. 28.



PRAEFATIO EDITORIS

su Episcopi Nauliensis vitam S. Eugenii, cuius exuviae in illa cathedrali asseruantur, quam etiam laudato Episcopo detulit.

In patria tamen ei per infelia fata perpetuo commorari non licuit, quae etiam ipse met in Epistola dedicatoria dissertationis Criticae in Sanctii Mineruam ad Seraphinum Caualerium ita exposuit: „Aduersa fors me coegerit aliam patriam perquirere: Quid inquam aliam patriam? mihi semper Sauona erit dilectissima, iucundissimaque mater, nam quidquid potest charitatis & beneficentiae in suos erogare ciues, in me collatum esse profiteor. Quam male mecum egit aduersa fors, quae me a tanta patria, a tanto amico exulare coegerit? Domestica bella eo saeuiora, quo interiora pacem mihi cum meis ademerunt; & breui, quae imminebat totius rei familiaris dissipatio, superuenit. Quis potest cedentem lapidem in aere retinere & retroagere? Ad praecepsitum deuolutam domum sustinere non hominis, sed Diuini Numinis est. Quare ut aliquam alicubi quietem, aliquem meae vitae statum nancisceret, sponte domo, paternis bonis negligetis, eorum vsu & fructu carere passus sum,

PRAEFATIO EDITORIS.

„sum, ut dulcissimae parenti, tot malis cir-  
„cumuentae ea fruenda relinquem; me  
„Romam recepi, in urbem, quae communis  
„patria dicitur: ibi in litterarum regia litte-  
„ras Latinas, in opia cogente, summo cum  
„labore, parco tamen stipendio publice do-  
„cere aggressus sum. Priusquam autem  
Rome litterarum ludum aperiundi, atque  
humaniores docendi litteras, facultatem ob-  
tineret, munere Vicarii generalis (k) in in-  
sula Corsica, in dioecesi Aleriensi, per bien-  
nium iam perfunctus fuerat. Ex quo vero  
ibidem domi Gymnasium apertum habu-  
it, & latinis Litteris erudienda iuuentuti  
operam dedit, (l) in quo labore ultra trigin-  
ta iam annos desudat, (m) fors etiam ipsi  
contigit varios Principes Latinis litteris in-  
struendi, ut Ducem Massae & Carrariae,  
Ducem Bracciani, Ducem Gallesii, varios  
que Marchiones, (inter quos Franc. Paulu-  
tium, Card. Paulutii nepotem, p. 1052. suum  
olim Auditorem, collaudat,) Comites, pluri-  
mosque nobiles, & quot ex nobilibus Con-  
victoribus per triginta circiter annos (m)

a 5 Roma-

(k) in Ludimastro p. 29. transimus a Vicario generali ad  
ludimastrum &c. (l) ib. p. 25. (m) vid. epist. de-  
dicat. Partis IV. ad Franciscum Claramontium, Patri-  
tum Cesenatensem.



PRAEFATIO EDITORIS.

Romanum Seminarium subdocendos ipsi  
commiserit. Interea in hac regina vr-  
bium varias etiam orationes in diuersis  
templis & solemnitatibus, extemporaneas  
etiam habuit, ut his vltimis testimonium in  
scriptis praebuere, qui ipsum concionatori  
designato, & ex repentina cauſſa impotenti,  
subrogarunt, illiusque partes iteratis preci-  
bus, illum alias expertum supplere coege-  
runt, ne in pleno auditorio desiderata con-  
cio deeffet. (n) Eodem tempore scriptis  
etiam in Republica litteraria inclarescere  
perexit, inter quae iam supra memoratae  
historiae Sauonae in compendium reda-  
ctae, vna cum Elogiis illustrium virorum  
Sauonenium, (o) ingenito suo in patriam  
amori debentur, quo etiam hodieque adeo  
flagrare videtur, ut non potuerit non illum  
etiam inter Grammaticas regulas, in loco li-  
cet alieno, declarare, in quam sententiam p.  
1403. & p. 2029. *Latii Restituti*, si placet,  
conferri possunt. Decuit etiam hunc pri-  
marium e Romanis Grammaticis, Gramma-  
ticum euulgare librum, eoque locum, quem  
fama ipsi adsignauerat, publicis scriptis quo-  
que vindicare.

Nec

(n) vid. *Ludimagiſtrum* p. 29. (o) lib. cit. p. 28.

---

PRAEFATIO EDITORIS.

Nec officio suo desuisse censendus est  
noster, nec eius proposito exoptatus suc-  
cessus, quum in Emmanuelem Aluarum, pri-  
mae caueae Grammaticum (cuius Gram-  
maticam in Hetruscum etiam idioma a Jo-  
anne Laurentio Guarnero translatam, &  
quintum Venetiis 1709. in 12. sub titulo:  
*La famosa Grammatica d'Emmanuele Aluaro*  
excusam possideo) explicationes quasdam  
Emmanuele Dilucidato inscriptas, ac in duos  
tomos collectas Romanis typis publicaret.  
(p) „Hic liber, inquit doctissimus Auctor,  
„nec integrum continebat Grammaticam,  
„nec in omnibus satisfacere poterat. Scripsi  
„tunc studentibus & rudibus, & ob id Itali-  
„ce, & omnium veterum exempla allata in  
„Italicum sermonem traduxi. Vidi tamen  
„ob plurimas enucleatas, atque dilucidatas  
„difficultates usui fuisse, & esse compluri-  
„bus magistris. (q) quibus vti alio loco  
ait, (r) docentibus etiam, vti discentibus  
eandem communem fecerat.

Nec minus hic Latinae Linguae Magi-  
ster praestantissimus, in hac principe to-  
tius

---

(p) vide praefationem Auctoris *Latio suo praemissam*,  
eiusque *Ludimagiſtrum* p. 28. [q] vide cit. *praef.*

(r) vide *Ludimagiſtrum* p. 28.

PRAEFATIO EDITORIS.

tius Latii vrbe, varia Latina, Elogia, Epigrammata, Anagrammata typis excudenda curauit, (s) quorum nonnulla, postquam CLEMENS XI. litteratorum princeps ac pater litterarum, & postremo Elogium suum cum duodecim purissimis anagrammatis, e suo nomine litteraliter depromptis, suaque gesta experimentibus, vidisset, sponte auctori nostro animum fecit, vt, si nollet Sauonae, in vrbe Genua & in tota Liguria Canonicatum, aut aliud vacans beneficium peteret, promittens se ipsi in omnibus fore gratiosum.  
(t) Nec tamen Parochiam vñquam petiit, quod ab ea semper abhorrebat, Canonicum vero in patria, a summo Pontifice gratiis oblatum, quemque etiam vltro obtinere potuisset, obtinere non potuit, dum ipsi aduersa fors obsistebat. „At quid! ait idem (u) non meum seu alienum infortunium, quid inquam alienum, maiorem in partem meum, quia meorum ab illo me absterruit, dum meorum mala fors faceret, vt ego malam, immo peiorem in patria sortem habiturus essem, si Canonicus pertenuis meis meorumque leuandis miseriis non satis futurus erat. Malui potius

(s) l.c. (t) l.c. p. 35. (u) l.c. p. 28.

PRAEFATIO EDITORIS.

,tius absens audire quam praesens eas vide-  
„re calamitates, quibus consulere nequi-  
„rem, & quamdiu pro viribus, pro valetu-  
„dine potui, collum tam duro docendi litte-  
„ras iugo subdidit. At enim uero fatetur,  
vnum se inuenisse de se optime meritum  
Excellentissimum D. Principem, MAR-  
CVM ANTONIVM BVRGHESI-  
VM, qui eum in Collegium Sacerdotum,  
magnificentissimo suo S. Mariae Maioris  
Burgheiano facello inferuentium coo-  
ptauit. (x)

Vt vero ab aliis eius libris ad Latium hoc  
Restitutum paulo propius accedamus, est il-  
lud opus fere viginti annorum, quod elabo-  
randi iam ante viginti duos annos Cauale-  
rio suo animum aperuit, (y) ante duos ve-  
ro annos implorante B. Maria, improbo  
labore, (z) absoluit. In quatuor autem  
partes diuisit Latium suum, quarum pri-  
mam ineffabilibus Virginis Matris crucifixo  
filio compatientis doloribus humillime di-  
cauit hic indignissimus, qui in B. Mariae nu-  
meretur, seruus. (aa) In hac dedicatione

B. Ma-

(x) vide *Ludimagiſtrum* p. 43. (y) vid. epift. dedic. ad  
Caualerium. (z) vid. epift. dedic. partis IV. (aa) ita  
se subscriptis in dedicatione.

PRAEFATIO EDITORIS.

B. Mariam Virginem mox augustissimam  
Reginam Martyrum, mox clementissimam  
& potentissimam patronam, mox protectri-  
cem & refugium peccatorum intuocat, eius  
compassionem ipsa Christi filii eius passione  
maiorem cum D. Bernardo praedicat, atque  
eam, quae ipsi manifestis miraculis, prolixo  
hic recensitis, hanc vitam caducam & peri-  
turam ter & quater saluam facere dignata sit,  
eius animam aeternum saluare velit, sup-  
plex anhelat. Secundam vero huius Latii  
partem Francisco & Iacobo fratribus Bur-  
ghesiis, Principis Burghesi filiis dignissimis,  
tertiam vero Perseo Baroni Circeo, Patricio  
Romano, & quartam denique Francisco  
Claramontio, Patritio Cesenatensi, dedi-  
cauit, quos omnes Latinis litteris olim im-  
buerat. Dignum etiam hoc singulare opus  
typis & publica luce censuit Ioannes Bou-  
get, ex cuius approbatione quaedam verba  
huic praefationi subiecta fuere, cui tamen  
Diarii Veneti elogium (bb) eiusdem iam  
supra memoratum, hic intexere placet:  
*Chi s' e preso a compilare l' opera che segue, si è  
posto in mente di volere a pieno erudire la gio-  
ventù in tutto ciò, che s' appartiene e alla lingua*

Lati-

(bb) Parte secunda Tomi tricesimi tertii pag. cit.



PRAEFATIO EDITORIS.

Latina, e all' antica erudizione Romana: diuisamento sempre mai sommamente lodevole in chi sappia riuscirs'ci bene e con profitto. Postquam integrum, vti in fronte libri habetur titulum Latinum Latine adduxerat doctissimus huius diarii Auctor, hanc recensionem illius non Hetruscis, quod ei alias solenne est, sed Latinis verbis adornatam ibidem exhibuit: Hoc opus sc̄. praeter ea, quae ad uniuersam latinitatis iustitionem & artem medullitus traduntur, continet explicacionem omnium verborum & nominum, pro eorum varia significatione & syntaxi, & diuersa capita, nempe de reductione veteris pecuniae ad praesentem romanam, cum suis tabellis fusissime extensis, & in latina locutione de ratiocinio, de accepto & expenso, de foenore, de re agraria, de re nautica, bellica, medicinali, de publico cursu, de veredis, de curribus, de pondere & mensura &c. difficillima quaeque enodantur, & penitissima aperiuntur. Omnia veterum latinorum scriptorum dictis frequentibus & exemplis plerisque in Italicum sermonem tractis approbantur &c. Hactenus huius Diarii Hetrusci verba, quibus paria fere habet auctoris ipsius ad Lectorem praefatio, ex qua praeter ea, quae post hanc praefatio,



PRAEFATIO EDITORIS.

fationem habentur, nonnulla hic repetiisse  
iuuabit, quae partim ad prolixitatem huius  
operis excusandam, partim ad methodum,  
qua Auctor Latinam linguam docere solet,  
indicandam, omnia vero ad opus ipsum le-  
ctoribus commendandum spectare viden-  
tur. „In longum protraxi hoc opus, *inquit*,  
„primo quia Magistris scribo, quorum est  
„plura scire; & quo fons est vberior, eo fa-  
„cilius ex eo, & expeditius haurietur aqua.  
„Mihi videntur non bene sapere, qui in re-  
„bus Grammaticis breuitatem quaerunt;  
„nam breuitas iejunum reddit discipulum,  
„& quae discenda sunt, non discet. Nolumus  
„breuitatem in vestibus, in commessioni-  
„bus, in ludis, & iocis &c. Sed quod satis  
„fit; nam vestes ad congruum corporis ha-  
„bitum, commessiones ad saturitatem, lu-  
„di ad integrum animi relaxationem deside-  
„rantur. Breuitas studenti non prodest,  
„immo potius obest, quia breuitati igno-  
„rantia est comes. Breuitas in paecepto-  
„re non multa laudatur, quia quo breuior,  
„eo fiet obscurior. Nolo tamen, vt pae-  
„ceptor in docendo sit longus; sed hanc in  
„eo breuitatem desidero, vt multa, immo  
„omnia, quae in vnum caput conferre  
potest,

PRAEFATIO EDITORIS.

„potest, vnicō praecepto tradat. Ego do-  
„cens verba infinita in vnam contraho ex-  
„plicationem, nec hoc mirum videatur;  
„nam omnia infinita tribus vocibus conti-  
„nentur: *Amare, amauisse, amaturum*. Iti-  
„dem omnia gerundia per me vnicam le-  
„ctionem important, quae tres voces sunt,  
„*amandi, amando, amandum*; nec ad expli-  
„candas & construendas tres voces tanta re-  
„quiritur quaestio, & temporis, & sermo-  
„nis prolixitas, & regularum multiplicatio,  
„vt guttatum in discipulorum mentes Gram-  
„matica instilletur; & sic de reliquis parti-  
„bus orationis. Hoc modo Ars erit bre-  
„uis, & non manca. Tota difficultas est in  
„praxi, vt discipulus in iis, quae doctus est,  
„exerceatur. Dicit mihi aliquis: cur tu  
„circa infinita, gerundia, & alia &c. tam  
„multa scripsisti, vt longior sis quocunque  
„Grammaticam artem tradente. Sciat be-  
„nignissimus Lector, vt supra dixi, me non  
„scripsisse dissentibus, sed docentibus, &  
„quae scripsi necesse est, vt Magister perfe-  
„cte intelligat, & sciat suo tempore ea com-  
„municare discipulis. Aliud est efformare  
„magistrum, aliud efformare discipulum.  
„Multa scripsi, vt praeceptor institoris &  
„mercatoris more suis mercibus abundet,

b

& non



## PRAEFATIO EDITORIS.

„& non sit veluti propola, qui sua minuta-  
„tim vendit. Copia in docente, non inopia  
„requiritur, vt ad quaevis dubia & quasuis  
„difficultates soluendas, sit promptus atque  
„paratus. „ Et paucis interiectis dicit, le-  
ctori ex indice Grammaticale Dictionarium  
& Phrasarium aperiri, & quo omnia ex suis  
fontibus hauriri potuerint, perfectam im-  
mo medullitus perquisitam fuisse totam ve-  
terum scriptorum vniuersitatem. Eadem fe-  
re, quae de methodo in hac praefatione sua  
monuerat, in Latio ipso & quidem Lib. XX. p.  
2020. denuo inculcat, & inter alia obseruat,  
se non discenti, sed docenti potius scripsisse,  
„vt quoddam manuale opus habeat ad me-  
„moriā reuocandā quasi totius linguae  
„Latīnae promtuarium. Et quantum potui,  
„pergit auctor, quidquid in arte Grammati-  
„ca desiderari potest, huc collegi, ne vteri-  
„us sit, quod desideret, nec illi desit, quod  
„doceat; & discipulus praeceptorēm ha-  
„beat, vnde discat. Innumerae paene  
„Grammaticae typis commissae sunt, quae  
„omnem artem in compendium redigunt;  
„& ad tale mihi videtur compendium reda-  
„cta haec ars, vt iejunus sere praeceptor,  
„magis magisque iejuni discentes sint, ita vt  
„potius nomine quam re Latini dicamur.

Ob



## PRAEFATIO EDITORIS.

Ob id Latium Latio restituere conatus sum, & vberem Grammaticam extendere & explanare, ne amplius in arcto & in arido res sit, & quasi Latinitas gazas profundere, ut eis quis suo iure dicitur. Cum meum igitur sit longe lateque totius Latinitas abditissima in conspectum dare, nolui Poësin obiter attingere, sed potius silentio, quam a longe eam indicare.

Atque huius tam celebris, tam felicis, tam doctissimae, vt ait, *vniuersitate scriptorum antiquorum*, instructi Grammatici, Grammaticae Grammaticarum vetustissimae & nouissimae vnius auctoris, veterisque Latii nostro aeuo restitutoris, nescio num veri atque satis idonei, Latio Restituto, in quo teste auctore (cc) omnia subtilissime, & ad vnguem enucleantur, praemissa est, cum Sciopii Minerua Sanctiana impugnata ac refutata, tum Ludimagister, seu Apologia Grammaticorum, quas diatribas ex opere prolixo, tot elogiis ornato, paucis forte apud nos adhuc viso, in usum Germanorum Lipsiensibus typis eum etiam in finem separatum excudendas curaui, vt ex vngue leonem, & quid tanto dignum ferat hic promissor hiatu, uno labore cognoscere possint? Ut τέρερον περέρερον committam, obseruationem illam de quibusdam sacrae Scripturae locutionibus, quacum imperitis & indoctis parum Latinae videntur, ex p. 2034. seqq. Latii Restituti, notulas vero ex allegatis paginis repetitas fuisse, te latere nolo. At in ipsa Latinitate Vulgatae, vbi a recto Grammaticorum sensu discordare videtur, mysterium latere, credat

b 2 cum

(cc) in fine dissertationis Criticae in *Miscellaneam Sanctianam*.



## PRAEFATIO EDITORIS.

cum Montio Iudeus apella non ego. Quae vero de sua dissertatione Critica in Scioppi Mineruam Sancianam Lectorem edocere voluit, illa ex ipsis verbis, huic praefationi subiectis, facilis negotio perspicere poteris. Huius titulum non tam ex mea, quam potius ex Clarissimi auctoris mente formaui, vt pote qui praeter praenomen, quod Scioppio erat, praemissum, τὸν impugnatur tantum in vocem *impugnata* mutauit, atque participium, quod ex τῷ refellere formandum fuisse, formari autem, vti notum est, nequibat, voce synonymica τῷ refutata expressi.

Quanquam autem primae huius operae titulum magis ex mente doctissimi Montii, quam mea ita instructum fuisse, iam dixerim; eum tamen locum quoque habere posse arbitror, si Scioppii nomen non tanquam auctoris, sed editoris Mineruae, consideretur, quippe qui illam a Francisco Sanctio, Brocensi, in inclyta Salmanticensi Academia primario Rhetorices & Graecae Linguae Doctore adornata, & Salmanticae 1587 primum publicatam, tandem ab Duce Alcalaeo, Hispanici Regis Legato, qui eam 1625 Romanum secum detulerat, accepit, ac multis ornatam elogiis, notulisque suis auctam, Patauino iterum prelo subiecit, (dd) seu Sancianam Grammaticam, magno suo studio excultam & perpolitam, multoque cum auctiorem, quam a Sanctio fuit edita, tum methodi legibus congruentiorem luci commisit, (ee) Postquam huius editio-

(dd) Verba sunt doctissimi Perizonii in praefatione Sancti Mineruae praemissa. (ee) vide ipsius Scioppii dissertationem de veteris ac nouae Grammaticae Latinae

## PRAEFATIO EDITORIS.

nis exemplum a *Marquardo Gudio* ex Italia Amstelodamum delatum esset, illud non tantum ibidem 1664 excusum, sed etiam post haec cum notis *Iacobi Perizonii* Franequerae 1687. 1693. 1702. & postremo 1714. Amstelodamenibus typis repetitum fuit, in quo praeter ea, quae addiderat in sua editione *Gaspar Scioppius*, hic etiam vnicis inclusa, notae Perizonianae plurimum sunt locupletatae.

Haec vera Mineruae Sanctianae est historia, post cuius editionem varia omnino fata & diuersa viorum eruditiorum, nescio num sua culpa? expertus est iudicia Scioppius. *Ioannes Henricus Boeclerus* in Bibliographia Critica (ff) hanc Sanctii Mineruam a Sciooppio suppressam fuisse ait, quam accusationem *Adrianus Bailletus* iudiciorum Tom. III. mitigauit, suppressionem libri in animo saltim habuisse Sciooppium affirmans, quo tatus eum exscriberet. (gg) Denique *Thomas Crenius*, verbis Boecleri nimium credulus Sciooppitum plagiariorum catalogo inferere nullus dubitauit, dissert. de furibus librariis n. 94. p. 100.e quibus tamen eum doctissimus auctor animaduerzionum in Boecleri Bibliographiam Criticam eripere allaborauit. (hh) At enim uero in longe alia abiit Clarissimus noster *Montius*. Tantum enim abest, ut hanc Mineruam vero suo auctori doctissi-

b z

mo

origine, dignitate & ysu, quam Grammaticae suae Philosophicae praemisit, quaeque ultimum Augustae Vindelicorum a Cl. Herzogio recensita fuit plag. c.a. in nota.

(ff) p. 23. ex editione Cl. Krausii. (gg) n. 665. p. 107.

On l'accusoit aussi d'avoir voulu supprimer l'excellent livre du celebre Sanctius, appelle la Minerve, afin de le piller avec plus d'impunité, & de mieux cacher le vol, qu'il en a fait. (hh) p. 832, seq.

## PRAEFATIO EDITORIS.

mo Sanctio tribuerit, ut potius illam, non solum Scioppio claris & disertis verbis adscribat, sed etiam in dissertatione Critica hanc Mineruam impugnans ac refellens, non contra Sanctum, sed contra Scioppium disputet, atque in eum grauiter inuehatur. Ne vero quid Montio nostro tribuisse videar, quod a mente eius alienum sit, non inconsultum erit, quae-  
dam ipsius Romanii nostri Grammatici verba in me-  
dium produxisse, vt afferto nostro fides sua constet.  
Ita vero in praefatione *Latio Restituto* praemissa in-  
quit: Sic Scioppius suam edidit Mineruam, crassam  
vero, quae non e Louis, sed e *Scioppii capite prodit*.  
Idem affirmat in tota dissertatione Critica: e.g. p. I.  
*dum ipse (Scioppius) putauit e suo capite, vt Iuppiter  
Mineruam peperisse, birco-ceruum peperit turpe-  
que chimaram.* Scioppium etiam in eadem le-  
per nomine compellat, pungit, lacerat, Sanctii no-  
mine ne quidem adducto. Nec disputat noster  
Montius in dissertatione sua contra additamenta  
Sanctianae Mineruae a Scioppiio in prima editione  
adiecta, & in Perizoniana, vii iam diximus, vncis in-  
clusa, sed contra ipsa Sanctii principia & verba, quae  
a Scioppiio quidem suo calculo deinde approbata, &  
in suam Grammaticam Philosophicam translata fue-  
re, non tamen, meo quidem iudicio, nostrum eo iu-  
uare videntur, vt ob hanc approbationem ac usum  
Mineruae, Mineruam vero suo auctori iure eripere,  
editori ac laudatori eius adscribere, eique ob alius,  
Sanctii scilicet, aluciones, errores &c. quos in  
ea inuenisse sibi videtur, impune insultare potuerit.  
Evidem in praefatione se ea moderatione hic usum  
suisse perhibet, vt maledictis abstinuerit. At enim  
nero



## PRAEFATIO EDITORIS.

uero num satis moderate haec dicta fuerint, dum e.g. Scioppium totum mendacem, Pseudo-grammaticum, qui admodum vagus, inconstans, & mendax sit, appellat, eum sermonis non sapientis sed insipientis, interpretationis fatuae, insulsae tautologiae, inventorum sophistarum insimulat, & num omnia haec & id genus alia in Scioppium dicta e censu maledictorum eximi possint, dijudicare hic nolo, sed totam Montii dissertationem in Mineruam Sancianam eruditis lectoris iudicio relinquo, miratus, cur nullibi mentionem fecerit doctissimi Perizonii, tam eximii eius editoris & commentatoris, cuius notae vna cum Minertia ipsa & Montianis in eam stricturis dignae omnino sunt, quae ab ingenuo Latinae linguae cultore conferantur, atque expendantur; modeste tamen, Fabius inquit, (ii) *& circumspetto iudicio de tantis viris pronuntiandum est, ne (quod plerisque accidit) damnent, quae non intelligant: Summi enim sunt, homines tamen.* Nihil etiam humani a nostro auctore alienum esse, erunt fortasse nonnulla in his ipsis distractis, quae id satis superque comprobare poterunt. Leue est, & vix animaduersione dignum, quod *Perotii* Cornucopiam in dissertatione sua Critica (kk) alleget, qui liber *Cornu copiae* ab auctore suo inscriptus est, & sic a nostro inscribendus fuisset, quanquam menon fugiat, vocem etiam *cornucopiam* in antiquis auctoribus occurrere. At grauius illud nonnullis videbitur, nostrum veteris Latii restitutorem voces quasdam in veteri Latio non obuias e.g. *Dictionarium* (ll) *Phrasarium* (mm) *Concordantias* (nn) *qualificare* (oo) *adhibuisse* &c, quae ab omnibus pro barbaris habentur. Nec antiqui *iuxta pro secundum* dixerunt, uti noster *iuxta adagium* (pp), &c. sed recentiores Nazarius, Hieronymus, Solinus a doctissimo quondam *Cellario* in curis posterioribus (qq) iam pro-

(ii) Lib. X. c. 1. p. 884. ex editione Cel. Burmanni. (kk) p. 7. editionis nostrae. (ll) in praef. Latii. (mm) ib. (nn) in diff. Crit. p. 6. edit. nostrae. (oo) p. 19. (pp) p. 1.



## PRAEFATIO EDITORIS.

producti, quos tamen in *Antibarbaro* non vult do-  
ctoribus Latinitatis antiquioribus anteferri. Vox et-  
iam quandoque, quae in auctoris nostri diatribis fac-  
piissime pro *interdum* usurpat, praeter veterum  
auctoritatem ita usurpata quibusdam videbitur,  
quoniam ne quid dislumulem, Clariſſ. & de elegan-  
tioribus litteris dudum praeclare meritus *Andreas*  
*Stübelius* in nouissima Fabri editione post Borrichi-  
um, certiora, quae dicit, *Quintiliani*, *Senecae*, *Celli*  
&c. immo ipius Ciceronis testimonia pro ea citarit,  
ab aliis tamen aliter explicata. Elegantias etiam La-  
tinæ linguae nostrum non semper sectari, vel illud  
exemplo est, quod p. 32. dicat *si quis* &c. Deniq; vitiosa orthographia  
vocum quarundam Latinarum et Graeca lingua or-  
tarum e. g. Ethimologia pro Etymologia, Re-  
thorica pro Rhetorica &c. in nostra editio-  
ne una cum aliis emendatae, ac pro operarum forte  
mendis habendae, & silentium auctoris, ubi omnes,  
quibus instruclus est, scientias atq; artes recenset, c-  
tuincere videntur, auctorem nostrum Graecæ linguae  
notitia destitui; qua num hic veteris Latii restitutor  
sine damno carere potuerit, vel debuerit, tu, Lector  
eruditæ, pro sapientia tua, facile iudicabis. Sed & haec  
a nobis animaduersa, praeter alia auctoris e. g. illa  
construictio, qua in *Ludimagistro* p. 26. dicit: hos ego  
interrogarem, præcipue si nobiles, si summos viros, si  
masculæ prolis parentes, & ab eis quaererem &c. illa  
orthographia, qua binas voces *ide est* semper in vnam  
*ide est* confiat, illa diuidendi ratio, qua pe-rexisse, co-  
niuncta ita diuidit, Tuæ censurae, Lector benevolæ,  
subiecta sunt, qui, si conatibus nostris in posterum  
fanere velis, cum auctoris nostri, quod supra vocavit  
*Dictionarium* seu *Phrasarium* tum Cl. *Ioannis Ienit*  
pure & impuræ Latinitatis Colleclanea breui a no-  
bis expectare poteris. Vale. Dabam Lipsiae in Mu-  
seо meo III. Non. Oct. A. O. R. et 19 ccxxii.

I. Ex



## I.

*Ex approbatione Ioannis Bouget, Prioris S.  
Martini di Scey, Le<sup>t</sup>oris linguae Sanctae in  
Collegio Urbano de Propaganda  
Fide.*

Summam Auctoris in enucleandis difficillimis quibusque quaestzionibus diligentiam; & ingentem in Scriptorum vetustiorum sensibus aperiendis & luculenter interpretandis solertiam, non sine fructu sum admiratus. Ideo tam singulare opus typis & publica luce dignum censeo.

*Ex Auctoris praefatione ad Lectorem.*

Persepsi etiam, multas multorum Auctorum Grammaticas, qui potius suo Marte, quam veterum Latinorum auctoritate tradiderunt praecepta non tuta, & fallentia; & saepe saepius exempla vera, & praecepta falsa. Sic Scioppius suam edidit Mineruam crassam vero, quae non e Louis, sed e Scioppii capite prodiit, in quam breue in criticam dissertationem intexui. Animaduerti, Latinam linguam hodierna tempestate ita vitiatam, ut pauci inueniantur, qui Latini dicendi sint, partim ex insidia praeceptorum, qui nudiustertius e scholis egressi, ex discipulis facti sunt magistri, & partim ex errore studentium, qui vix lingua Latina aspersi, se imbutos putant. &c. Non potui non aperte seorsim obiter Sanctianam Scioppii Mineruam impugnare, quia eius principia omnino nostris, & omnium Grammaticorum principiis & institutis aduersantur, nihilominus ea moderatione vtor, vt maledictis abstineam: nec eos commendo, qui aduersarios non rationibus, sed iniuriis contumeliosque conuincere nituntur.

## c

## II.



## II.

*Ex auctoris dedicatione ad Seraphinum Cau-  
lerium, Sauonensem Sacerdotem.*

Mihi visum est praemittere criticam dissertationem in Scioppii Sanctianam Mineruam, & hanc in testimonium nostrae mutuae necessitudinis tibi inscribere, qui in arte Grammatica tam excellis, ut videas, an legitime & certo iure confutauerim, quae Scioppius contra communem docendi vsum, & artem euulgavit. Hanc censuram potius attigi, quam perfeci temporis inopia, & non multiplicandi voluminis causa. Tuum in re Grammatica hominis doctissimi iudicium expositulo, ut quae damnaui & quae damnanda supersunt, iudices, an iure damnata sint, & reliqua damnanda videantur. Accedit huic dissertationi Grammaticorum suscepta defensio, quam etiam tibi inscribo mittoque, & ad hanc me in primis motit consideratio tui, qui omnibus numeris absolutus magister es, & in urbe Sauona de nobili iuuentute praccipue bene meritus, te nihil ex tanto beneficio, ex tam dura professione retulisse, nisi quod pertenue stipendum dat vetustia consuetudo, & in dies minuit, locorum temporumque calamitas, & magisterii negligenta dignitas.

SCIOP.



SCIOPPII  
MINERVA SANCTIANA  
IMPVGNATVR, ATQVE  
REFELLITVR.

**S**Cioppius dum suo ingenii acumine, atque theoremate veram certamque linguae Latinae rationem inuenisse excogitauit, a primo aberrans suae mentis instituto, quo sibi proposuerat ad vimam classem redigere omnia verba, & explicite, aut implicite illis accusatiuum apponere, & per ellipsis omnes obliquos, & posteros causis auferre, eodem tempore, eodemque studio, quo totam artem Grammaticam ad duo tantum principia contrahere elaborauit, eodem tempore distractrix, atque destruxit. Voluit ipse theoreticam Grammaticam inuenire, quiae potius purum ens rationis, & metaphysicum figmentum dici potest, dum ipse rationem in rebus Grammaticis inuenisse gloriatur, quae aliam rationem noni admittunt, quam usum, & praxin iuxta illud vulgare adagium: *Sic dixerunt priores.* Dum ipse putauit e suo capite, vt Iuppiter Mineruam peperisse, hirco - ceruum perperit, turpeisque chimaeraim, & quasi alterum in rebus Grammaticis Numen se iactans Varronem, Diomedem, Quintilianum, Priscianum, Donatuni, Vallam, caeterosque eximios linguae Latinae professores premit, conculcat, ferit, iugulat. Pauca

A

attia

I. SCIOPPII MINERVA SANCTIANA

attingam, ut facile sit cognoscere ex vngue leonem.

Non vult Scioppius pronomen esse vnam ex partibus orationis, sed confundit nomen cum pronominem. Illud significat, appellat rem, & personam: hoc tantum connotat, & ideo dicitur pronomen, quia loco nominis, quod connotat, quare sunt diversa officia, & diuersa nomina; & non mihi videatur esse certa ratio, qua nomen, & pronomen sint vnum & idem. Vide Lat. Restit. p.44. 1754.

Excludit a partibus orationis interiectionem, quam neque vult esse aduerbium. Quid ergo erit? Ipse se ipsum implicat. Alio munere funguntur aduerbia, alio interiectiones. Cum etiam per ipsum Scioppium significet aliquid aliud ab aduerbio, erit ergo distincta pars orationis. Vide Lat. Restit. p. 82. 1901.

Multa ipse cauillatur circa nomina, & verba, circa modos, & tempora. Vide in nostro Latino p. 138. 144. 147. vbi nos agimus de his non sophistice, sed practice, & methodice. Veniamus ad alia, quae in praxin reduci nequeunt.

Ad eradicandas linguae Latinae radices asserit in lib. II. cap. 2. casum rectum a verbo non regi. Hic ego eum interpellarem: tu vocas casum rectum, & ab omnibus Grammaticis dicitur nominatiuus casus rectus non ob aliud, nisi quia a verbo regatur. Tu dicas casum rectum a verbo non regi. Si est casus rectus, a quo regetur? Iam ipse tibi contradicis: nomine concedis, & re illum negas. Adducit exemplum: *Cato scribit.* Cato, inquit, *suppositum est, non persona agens, aut patiens, ut formiant Grammatici.* Et subinde addit: Nec ullo alio modo reperitur nominatiuus in Latino sermone. Mihi licet interrogare eundem Scioppium; Quis est, qui scribit? necesse est, ut dicat: *Cato.* Tn igitur in-

hi das a  
se subsi  
bente?  
vt tu sc  
maticis  
vt nos e  
bere de  
cet ad  
loco (C  
ipsam  
agens,  
set signi  
lus, fi  
Quomo  
mens ac  
ligat?   
riturn  
hunc ei  
Subsi  
habere  
gurate  
estne h  
que ser  
puer.  
miniat  
na conc  
pacem;  
lum An  
aliquan  
Annibal  
ui, sed  
bal est  
ponat I  
Person  
nus) vn  
P. 179.



hi das agentem, quem negas. Quomodo potest per se subsistere (*scribit*) nisi fiat sermo de persona scribente? Non est Scioppii (*Cato*) nudum suppositum, vt tu scribis, sed agens. Suppositum in rebus Grammaticis intelligitur de persona, quae supponitur, vt nos explicamus in Reciprocis. Suppositum habere debet relationem ad suum individuum, scilicet ad personam, ad quam referatur sermo. Hoc loco (*Cato scribit*) tu non mihi das suppositum, sed ipsam personam scribentem: Quare (*Cato*) erit agens, & non suppositum. Aliter quomodo possit significari nostrae mentis conceptus, noster sensus, si apertis, & apertis verbis non exprimeretur? Quomodo in nudo verbo (*scribit*) potest humana mens acquiescere, nisi scriben in Catonem intelligentiam? Quod postea addis. *Nec vlo alio modo repetitur nominatiuus in Latino sermone.* Nonne vides hunc esse non sapientis, sed insipientis sermonem?

Subsequitur ibidem dicendo, non posse verbum habere duos nominatiuos: *Ego doceo libens*, vult figurare dici, id est, ego doceo qui sum libens. Potestne haec locutio cadere in bonum, legitimum que sensum? Non vteretur hac circumlocutione puer. Non sunt ibi duo segregati distinctique nominatiui, sed unus nominatiuus continuatus, & una concordantia. Inquit ipse: *Ego Hannibal peto pacem; deest ens, vel qui sum Annibal.* Ego, qui sum Annibal, dicunt Rethores, quando oratione aliquam circa virum auxefin facere volunt. Ego Annibal in casu continuato non sunt duo nominatiui, sed unus, & vna, eademque persona, nec *Annibal* est suppositum, quia referatur ad *Ego*, aut supponat ly *Ego*, quia (ego Annibal) comprehendit personam, & nomen personae, vt (*Ego Augustinus*) unus sum, & non duo. Vide in nostro Latio

4 I. SCIOPPI MINERVA SANCTIANA

Vult participia non connotare ea tantum tempora, quae illis assignant Grammatici ut amans significat praesens, & praeteritum imperfectum modi indicatiui, id est, qui amat, & amabat. Amaturus, qui amabit &c. sed vult vnumquodque participium connotare ex se omnia tempora: & dat exempla: Sed postquam amans accessit pollicens pretium. Tarent. And. I. i. eius interpretatio per me est haec, ma dopo che l'amante si accostò promettendogli il prezzo. Scioppius explicat: pollicens, id est, pollicitus est; & vult tempus definire participium a verbo accessit, & aequivaleret per periphrasim: accessit, & pollicitus est pretium: sed eo casu non sumus amplius in participio, sed pro participio per circumlocutionem adhibemus verbum. Possunt quidem omnia participia coniungi cum verbo cuiusvis temporis, & modi, sed participium semper suum tempus, suamque vim retinebit. Amaturus sum, vult ipse esse participium temporis praesentis, quia adhaeret tempori praesenti sum. Tempus praesens connotat rem in actu praesentem, cum dico amaturus sum, indico non quod facio, sed quod facturus sum, non me amare, sed me amaturum; quare participium semper seruat suum tempus. Adducit aliud exemplum: Herus emit me dicto audientem, non imperantem sibi. Plaut. Menaech. II. 3. Ego sic interpretor: Il padrone ha comprato me, che faccio à posta di quello, e non lo comando. Scioppius: me dicto audientem, vult ipse participium temporis futuri, id est, me dicto auditurum, vel qui futurus ero dicto audiens. Iper vult omnia peruertere. Sensus legitimus est: Herus emit me, quia soleo dicto audire, & non impereare sibi: quomodo vult explicare, il padrone ha comprato me, che farò à posta di lui, e non comandarò à lui: haec interpretatio nec sensui, nec bono vulgatoque sermoni conuenit: Herus emit seruum hanc.



A IMPVGNATA AC REFVTATA. I 3

hac conditione, ut obtemperet, & non imperet; nec ementi hac lege, hoc pacto opus est, ut seruus sit futurus dicto audiens, & non sit imperaturus, sed emit seruum obtemperantem, & non imperantem hero, quia nouit serui naturam bonam, faciem; & morigeram,

Dicit nulla verba posse regere post se genitium, sed hunc genitium esse possessionis; aut a subintellecione aliquo nomine substantiuo regi, & neutrum esse casum verbi. Adducit exempla: *Emi hoc magni*, id est, *emi hoc prelio magni aeris*. Si Scioppius bene nosset Latinam linguam, non dedisset exemplum mendosum; nam non dicimus: *emi hoc magni*, sed *magni*; ita apud omnes probatos Scriptores: vide in nostro Latio p. 240. sed mirum non est mendum in homine, qui totus mendax est. Si dixisset *emi hoc magno*, i. e. magno prelio, optime dixisset. *Emi hoc magni*, i.e. prelio magni aeris: hanc interpretationem facit Scioppius, & praeter ipsum nemo. Dicimus bina millia aeris, tria millia aeris, id est, bina millia assium, tria millia assium: bini aeris, terni aeris, i. e. bini asses, tres asses: Vide Lat. p. 954. 961. 963. Sequitur Scioppius, & dicit: *Ego pluris te aestimo*, i. e. ego aestimo te prelio pluris aestimationis. Ecquis vñquam audiuit hoc genus interpretationis tam fataue, *io ti stimo à prezzo di più stima?* Verbum aestimo iam per se significat aestimationem facere, quare ergo per vitium instilvae Tautologiae repertere, ego aestimo te prelio pluris aestimationis? In hac sua interpretatione, & institutione plures Scioppii errores, & ipsum qualis Grammaticus, aut Pseudo-Grammaticus sit, cognoscere facilissimum erit. PLVS est nomen, quod in singulari est Monoptotum. Genitius (*Pluris*) est adverbialis, & referetur tantum ad prerium, sicut etiam sunt genitivi.



## 6 I. SCIOPPII MINERVA SANCTIANA

mitiui aduerbiales *tantis*, *quanti* & *de quibus* vide Lat. p. 64. 247. 1710. & praeter pretium non possim cum alio substantivo nomine coniunctim dicere: *Pluris* sed *maioris*, nec bene dices: *Men vestis* est pluris aestimationis, ille est vir pluris auctoritatis, sed *maioris* aestimationis, *maioris* auctoritatis. Aestimatio includit valorem seu taxationem pretii; & pretium non est aestimationis, sed rei empta: quare non possum dicere: *Iaestimo te* pretio pluris aestimationis, nam pretium non est aestimationis. In lib. II. cap. 3 & lib. IV. de Ellipsis sub finem dicit Scioppius, illos genitiuos minoris, pluris, *tanti*, *quanti* &c. ab ablativo (*pretio*) regi. Si sciret Concordantias, non hoc dixisset: *Eni magni*, inquit, *subaudi* pretio. Quid dicas Scioppii? primo: *Eni magni* non potest dici, sed dicendum est, *eni magno*, & *subaudi* pretio, bene dices. *Eni magni*, & *subaudi* pretio; & ubi est concordantia? Hoc Itachus velit, & magno mercentur Atridae. Virgil. id est magno pretio, optima est interpretatio. Et pretium *quanti* gaudet, ipsa facit. Ouid. I. L. Amor. 10. *Supple* pretio, dicit Scioppius. Si vis, o Scioppi, vt sermo concordet, dic quanto pretio gaudet, & non *quanti* pretio.

Eodem inodo negat statum in loco non admittere genitiuos nominis proprii, sed esse figuratam orationem cum dicimus: *Natus sum Romae*. i. e. in vrbe Romae. Primo dico apud antiquos, & probatos scriptores semper in vnu fuisse dicere in vrbe Roma, & vix in vrbe Romae: Vide Lat. p. 187. 1467. Sic per Scioppium: Moror Genuae, Mediolani, non erunt genitiui status in loco, sed a subintellecto substantivo nomine in vrbe Genuae, in vrbe Mediolani. Primo dico, si hoc esset per Ellipsin, dicendum esset: Moror in Genuae, in Mediolani, i. e. in vrbe Genuae: sicuti per Ellipsin dicimus interfui rei sacrae in Diui Petri, i. e. in templo: Eo

ad



A

---

IMPUGNATA AC REFUTATA.

7

ad Divi Ioannis, i. e. ad templum. Secundo dico si per Scioppium dicimus: moror Genuae, i. e. in vrbe Genuae, eodem modo dicendum est: Moror Pisarum; Senarum, Venetiarum, i. e. in vrbe Pisarum, in vrbe Senarum, sed hic sermo ab omnibus reicitur, & non minor ratio est de vno, quam de alio, ergo dicendum est: Moror Genuae esse genituum status in loco, sicuti moror Pisum, esse ablatum eiusdem status, ut docuimus p. 984. Quis vnumquam legit apud probatos scriptores, quod dicit Scioppius: *Aegypti educatus, i. e. in prouincia Aegypti.* Si hoc valeret, dicere possemus: Moror Galliae, natus sum Liguriae, quod est omnino absurdum, & nulla esset distinctio inter nomina propria vrbiuum, locorum, & nomina prouinciarum, regionum, insularum &c. Si vult Scioppius in sua Ellipsis dici: moror Pisum, i. e. in Pisum, & esse ablatum subintellecta praepositione *in*. Dixerunt veteres in Italia, in Liturgia, quare etiam non dixerunt in Pisum, in Senis? Vel contra: quare non dixerunt; moror Italia, pro in Italia, si vbique potest subintelligi per ipsum praepositio *in?* ergo sua Ellipsis non in omnibus locum habere potest.

Audi haec alia sophistica inuenta per figuram Ellipsis. Dicit Scioppius in pluribus locis, & in lib. IV. Ellipsis in principio: *Ego sum domi, i. e. in aedibus domi.* Dico primo, genituum domi non inueniri, nisi solum per se, & esse aduerbialem solius status in loco, vide in nostro Latio p. 64. 986. nam in caeteris locis vtimur genituo *domus*. Est in superiore parte *domus*, & non *domi*, è nell' *appartamento di sopra*. Domus meae imperium habeo; vt bene explicat in sua cornucopia Perottus. Licet pronomina apposita meae, tuae, suae &c. indicant esse genituum *domi*, sed aduerbiorum more vtimur tantum cum statu in loco: *Sum domi meae: Domini ve-*



## 8. I. SCIOPPII MINERVA SANCTIANA

strae hospitatus sum &c. Et a Graeco *domus* deriuari vult Perottus, quod tectum Latine dicimus, & vult esse Synonymum cum aedibus. Dicuntur aedes numero multitudinis: in numero singulari aedes templum significat, vt in aede Iovis, in aede Mercurii, in aede Mineruae, in aede sacra, & in aedibus sacris. Aedes Varro testatur ab aditu dictas, alii volunt dictas aedes, quia in edito loco poni solerent, alii appellant aedes, quia in iis edere solemus. Aedium appellatione Paulus Iurisconsultus vult intelligi quacunque aedificiorum species: Ab hoc fit aedifico, i. e. aedem facio. Quare aedes est nomen late sumptum pro quolibet aedificio. Nunc videamus, an Scioppius bene dixerit: *Ego sum domi*, i. e. in aedibus domi, & bene commentus sit, illum non esse genitium statutus in loco. Primo dico *domi* proprie connotare habitationem integrum, quae intra quatuor muros continetur, & non indigere, vt explicit subintelligi in aedibus. Secundo dico: Si *domi* non explicat per se, nisi subintelligatur in aedibus. Quando idem Scioppius dicit: *Venio domo* deberet dicere: venio a domi, i. e. aedibus: sed ibidein dicit: *Venio domo*, i. e. ab domo. Hic per ipsum ablativus *domo* explicat, illic genitius *domi* non explicat, nisi retinus a nomine subintellesto in aedibus. Quare vi des non esse certain, & tutam interpretationem Scioppie. Audi alia sophistica inuenta. Cum dicimus: *Domini bellique*, dicit Scioppius, i. e. tempore pacis, & belli, quae interpretatio quandoque late sumpta potest hunc sensum importare, vt nos docuimus pluribus locis, sed strictim sumamus verba: *Domi*, id est, tempore domi: hoc est absurdum, nam *domi* per se non significat pacem, nisi translate, sed potius in vrbe, ubi est dominus, patria & habitatio cum tota familia, vt ille est domi sua nobilis, i. e. in sua patria, vide Latium p. 1074. Nec semper possu-

possimus interpretari in pace & in bello ; nam quandoque respicit idem tempus, nec eodem tempore potest dari pax & bellum, & esset implicatio. Quando dicimus: *Domi militiaeque.* Non potest subintelligi tenipore domi, & tempore militiae, nam militia etiam in pace apud omnes principes praesidii causa tenetur, sed domi, militiaeque, i. e. in urbe, & in castris. *Iacet humi*, vult Scioppius subintelligi per ellipsis, *in terra humi*. Terra est nomen late sumptum, & comprehendit humum.

Dicimus coelum & terra. Coelum comprehendet duo elementa, nempe aërem, & supernum ignem. Terra complectitur humum & aquam: hinc quandoque terram pro mundo, qui terrarum orbis dicitur, defumimus. Humus proprie terra est, in qua seritur, & quae humore fuetur, & producit herbas & plantas. Hinc homo, humanus ab humo dictus, quia de humo desumptus est; & humatus dicitur, qui terra obrutus est. Cum dico *iacet humi*, non potest intelligi in terra humi, & quomodo explicabitur, *in terra della terra?* Equis audiuit hunc morem loquendi, nisi a Scioppio? Humus est nomen specificum, & explicat per se fine vel additamento.

Negat datiuum nec in actiua, nec in passiua significacione regi a verbis, sed ubique esse casum communem omnibus verbis, & dicit esse datiuum acquisitionis, quem Grammatici vocant datiuum commodi, ut amo me, *amo me stesso*, amo mihi, amo per me. Vide de datiuo commodi in Latio pag. 1081. Negat omnes posteros casus a verbis regi, & datiuum non posse ab ullo verbo regi. Si ego dicam: Dedi epistolam tuo famulo ad te. Vbi erit hic datiuus acquisitionis, seu commodi? *ho data la lettera per il tuo seruo, per bene del tuo seruo.* Qui interpretaretur hoc modo, videretur esse omnino linguae

io I. SCIOPPII MINERVA SANCTIANA

Latinae ignarus, & Grammaticae inscius. Ipse negat casus posteris verborum. Lingua Latina per ipsum erit manca, & non poterit explicare mentis conceptus, vt explicat lingua vernacula; nam inquirimus, qui dederit epistolam, cui dederit, & ad quem scilicet deferenda: Quare necesse est, vt detur agens, qui dat, patiens, rem quam dat, casus posterior, cui dat, & ad quem dat; vt fiat integer sermo.

Eodem modo negat Scioppius lib. III. cap. 4. dari datiuum agentem cum verbis passiuis, qui quandoque adhibetur more Graecorum pro ablative cum praepositione a, vel ab. Adducit exemplum. *Nec cernitur ulli*, Virgil. Dicat Scioppius, vbi sit hic datiuus acquisitionis. Per poetam hic est legitimus sensus: *Non è veduto da alcuno*, quomodo ipse vult interpretari, non è veduto per bene di alcuno à favore di alcuno. Cicerro etiam dixit: Mihi haec oratio suscepta non de te est. *Cic. II. de Offic.* i. e. ego suscepvi hanc orationem non de te, da me è stata intrapreso questo discorso non di te. Non possum explicare: questo discorso non è stata intrapreso per ben mio. Littera quaecunque est toto tibi lecta libello, est mihi sollicitae tempore facta viae. *Ouid. I. Trist. eleg. 10.* Idem poëta, credo, sic explicaret sua carmina, qualunque lettera, che da te è stata letta in tutto questo libriciuolo, è stata fatta da me in tempo di un sollecito canino, cioè non ritardato. Non potest tergiverari hic Scioppius, vt possit dicere hos ambos esse datiuos acquisitionis, è stata letta per te, è stata fatta per me. Cum sermo sit de passiuis. Non vult ipse passiua habere ullum casum. Sicut ipse in verbis actiuis non admittit personam agentem, nec patientem, sed primum scilicet agentem vocat suppositum, alterum scilicet patientem, vocat appositum, sed de his

his infra. Dicit Scioppius: per vos verbum actiuum non subsistit sine agente, verbum passiuum subsistit sine ablativo cum praepositione *a* vel *ab*, ergo ablativus cum praepositione *a* vel *ab*, non erit agens, sed nudum suppositum, & adducit exemplum Ciceronis: *In quo agitur populi Romani gloria, agitur salus feriorum &c.* Idem pro lege Manilia, & haec alia dicta: *Liquor animo, afficior pudore, quae subsistunt sine ablativo cum praepositione *a* vel *ab*,* & oratio est integra. Respondeo ego: nego suppositum. Nescit Scioppius in passiuis non semper quaeri: Quis agat rem, sed quae res agatur: Actiorum est quaerere quis agar: Passiuorum quid agatur. Non essent verba passiva, si per ipsa non possent exprimi passio rei. Ad hanc rem ego astro, & praeceps in meo Latio, omnia verba actiua, quae non exprimunt in lingua Italica personam agentem, sed tantum connotant passionem rei sine vlo agente expresso, necesse esse ea tune in passiuia conuersti. Exemplis fiet hoc clarum e. g. *Io vedo portar molti banchi,* & non exprimo qui ferat scanna, si volo hunc sermonem Latinum reddere, mihi dicendum est: *Video ferri multa scanna.* Eadem ratione quotiescumque non exprimitur Italice agens cum verbo actiuo, sed tantum passiuum, verbum in passiuum conuersti necesse est, alia exempla magis dilucidabunt haec mea dicta: *Sento dire molte cose, audio multa dici.* *Mi abbandono di animo,* liquor animo melius quam liquo me animo, nam ego non liquo me, sed liquor, nempe ab aliqua alia re, si dicam: *Continua il tumulto,* continuatur tumultus. *L'acqua deriuata dal fonte,* aqua deriuatur a fonte: a fonte non est agens, sed vnde; nam homo deriuat aquam: *Maturano l'vue,* maturantur vueae. *Senso gridar queste voci: misericordia, misericordia,* offerire voti a Dio; audio clamari has voces: misericordia

12 I. SCIOPPII MINERVA SANCTIANA

ricordia, misericordia, offerri vota Deo, è *tempo*,  
che finiscono queste liti, tempus est, ut finiantur haec  
lites. Si dicam Italice: *vna naue hoc scaricato mol-*  
*te mercantie.* Latine efferendum est passiuue: Na-  
uis exonerata est multis mercibus, nec possum acti-  
ue dicere: Nauis exonorauit, nam nauis non se ex-  
onerat, sed exoneratur. Si verba passiuua non pol-  
lent sine agente exprimere passionem, passiuua non  
essent, nec passiuorum officio fungerentur. Vide  
Lat. p. 386.

Negat Scioppius contra communem Gramma-  
ticorum sensum, & auctoritatem in eodem lib. III.  
cap. 4. ablatiuum cum *a* vel *ab* non esse agentem  
cum passiuis, sed significare *unde*. Nos in hanc par-  
tem verba, quae hanc significationem important.  
& constructionem, explicuiimus in nostro Latio p.  
821. 1825. Multis in locis ablatiuu cum *a* vel *ab*  
non est semper agens, sed aliam habet significatio-  
nem; nam plures significationes in se inuoluit praec-  
positio *ab*. Vide Lat. p. 821. 1825. & Scioppius ad  
vnam tantum significationem adducit, vt in sacris  
paginis: Descendit hic iustificatus ab illo *Lucæ Eu-*  
*angel. c. XVIII. 14. Deus tantum iustificat (ab illo)*  
non est agens, sed importat hunc sensum, respe-  
ctu illius, & alibi: *Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato, Epist. ad Rom. VI. 7. i. e. qui mor-*  
*tuius est peccato per baptismum, vt explicat D. Tho-*  
*mias, translatus est a peccato in statum gratiae;* vel  
si grammaticaliter explicare volumus: circa pec-  
catum, pro omni eo, quod spectat ad peccatum,  
ipse iustificatus est. Vide Lat. p. 1640. Nullus ta-  
men erit, qui sit Latina lingua aspersus, non in-  
quam imbutus, qui non fateatur, ablatiuum cum *a*  
vel *ab* esse agentem verbi passiuui, quippe cum ille  
sit a nominatiuo agente verbi actiuui e. g. si dicam:  
*a magistro explicatur grammatica discipulis, Sci-*  
*oppi-*

oppius interpretatur: *per parte del maestro s' spiega &c.* A qua oritur, vnde explicatio prouenit. At si ego interrogo: Quis explicat Grammaticam? non est magister? aliquis opertet, vt explicet; nam Grammatica per se ipsam non se explicat, sed explicatur. Mirum non est, si Scioppius non admittit ablativum cum *a* vel *ab* tanquam agentem verbi passivi, qui pluribus in locis, & praecepue in lib. I. cap. 13. Negat prima Grammaticae rudimenta, verbum non habere personas agentes, nec patientes, sed pro agente dicit suppositum, pro paciente appositorum. *Cur voces agentem (inquit ille) personam, quae saepe in recto patiatur, etiam in actiuo voce, ut Petrus accipit plagas, dolet, patitur vulnera.* Agens per Scioppium erit tantum in rebus bonis, & secundis, & non in aduersis, & malis. Omnes ergo per Scioppium tantum bene agent, & non male, vel nullus sibi irrogabit malum, & si aliquis sibi irrogabit malum, erit mali patiens, & non agens. Si dicam: Magnum ego cepi dolorem. *Ego* secundum Scioppium erit patiens, quia ego patior dolorem. At ego non speculatiue, sed practice difero (cum Latina lingua sit potius practica, quam speculatiua; nam in sermone habemus praxin, & usum loquendi impositum ex beneplacito priorum, sicuti Deus Adamo hanc facultatem dedit, vt quaecunque vocaret, illud esset eorum nomen) ego inquam non speculatiue, sed practice interrogarem Scioppium: Stemus in verbo, *cepi*, quis cepit dolorem, nisi ego? Si dicam similiter: Petrus sibi consciuit mortem: in hoc sermone si quaero agentem licet rei malae, & dicam. Ecquis est, qui interfecit Petrum? nisi idem Petrus, qui interfecit se ipsum, & sic de reliquis, quare in verbis semper nesciisse est, vt sit, qui agat aut bene, aut male.

Eodem modo negat Scioppius in passibus dari accusatiuum cum *per agentem*, quem nos dicimus

ali-



14 I. SCIOPPII MINERVA SANCTIANA

aliquando adhiberi loco ablativi cum *a* vel *ab*, vt in nostro Latio p. 390. ipse vult esse accusatiuum causae instrumentalis, & adducit exempla: Comitia per M. Fulium, & M. Curium tribunos plebis impediabantur. *Liu. D. IV. l. 2.* ipse interpretatur, *comitium di M. Fulio, e di M. Curtio tribuni della plebe s' impedianno le radunanze o comitii.* Ego sic differo: Si quis vtebatur Tribunis tanquam instrumento ad impedienda comitia, historicus diceret; sed dum aliquid per aliquem impeditur, ipse impedit. Tribuni ex officio comitia impediabant. Esto tamen, quod accusatiuum cum *per* possit saepe saepius ad causam instrumentalem, seu verius efficientem reduci, semper tamen viam agentis retinet. *Is erit Phormio parasitus, per quem res agitur maxime.* Terent. *Phorm. prol.* Si parasitus per Scioppium est instrumentum, per quod res agitur, ipse etiam erit agens, seu causa efficiens, nam coincidunt agens & efficiens. Instrumentum per se non agit, nisi sit persona instrumento vtens. Esto quod parasitus per Scioppium sit instrumentum, etiam ipse parasitus erit instrumento vtens; & qui vtitur instrumento, est agens. Tergiuersetur quoquomodo vult Scioppius, semper suis metu ambagibus captabitur.

In libro II. cap. 5. Scioppius negat quemcunque accusatiuum regia verbo, sed a subintellecta praepositione, & dicendum esse inquit: *Eo in Romam, in rus, & redarguit Quintilianum dicentem foliocismum esse si quis dicat: Venio de Sufis in Alexandriam,* & adducit multa exempla veterum scribentium: ad Römam, ad Brundusium, a Röma, & Brundusio. Ipse ignorauit quid, & quantum interfit inter praepositionem *ad*, & *in*, cum verbis motus. Nos hanc quaestione late agitamus. Vide Latium p. 1055. per totum, & p. 1062. Dicit de accusatio temporis. *Vixit annos centum, i. e. subintellecta.*

lecta praepositione *per*. Vide Latium p. 1174. ubi de tempore diffusissime agitur.

Scioppius in eodem libro II. cap. 7. nullos posteros casus admittens, aperte negat ablatuum posse a verbo regi, sed per Ellipsis ab aliqua subintellecta praepositione. Quare non admittit ablatuos instrumenti, modi, causae, temporis, laudis, & virtuterationis, comparatiui, ablatuos absolutos &c. vult lib. IV. de Ellipsis, & instrumenti praepositionibus, ablatuum instrumenti regi a praepositione *cum*, & quando non exprimatur, subintelligatur. Assert exempla, quibus probat instrumentum ab ipso non intellectum adhibitum fuisse in ablatuo cum praepositione *cum*, & hanc constructionem vult fuisse veterum scriptorum; sed utinam intellectisset, quae scripsit, cognoscens se in errorem lapsum, alios in eundem non pertraxisset errorem. Hoc est primum exemplum ab Ouidio desumptum lib. I. Metam.

*Celsor ipse loco, sceptroque imixus elerno  
Terrificam capitum concussum terque, quaterque  
Caesariem, cum qua terram, mare sydera monuit.*

Vult ipse (*cum qua*) esse ablatuum instrumenti. Ego sic Italice interpretor, *esso*, cioè Giove, più sublime, stando più in alto di luogo, Essendo appoggiato al scettro d'aurio tre, e quattro volte scosse la terribil zazzeria, con la quale mosse assieme la terra, il mare, le stelle. Ecquis non videt (*cum qua*) esse ablatuum concomitiae, & non instrumenti? *Cum qua*; i. e. una cum capite concussum, & mouit terram, mare, & sydera. Adducit aliud exemplum clarius primo ab eodem Ouidio desumptum in epistola Accontii.

*Testis, & Actaeon, quoniam fera creditus illis,  
Ipse dedit letho cum quibus ante feras.*



## 16 I. SCIOPPII MINERVA SANCTIANA

Vt patet etiam rudioribus, (*cum quibus*) est ablatiuus concomitantiae, & non instrumenti; & ego sic explico: *E' testimonio Atteone, poiche creduto fieri da quelli, con li quali per auanti uccise le fieri.* Allegat aliud exemplum. *Haec modo verrebat raro in pectine pratum.* Ouid. IV. Fast. Alii diuerfa legunt: *Haec modo verrebat sicutem tibicine velam.* Tibicine, i. e. ligno, in quo tela inuoluitur. Si vult Scioppius, ablatiuum instrumenti regi a praepositione *cum*, & subintelligi, quando deest, & quod subintelligitur, posse immo debere sine ullo mendo exprimi, vt integer, & clarior fiat fermò. Eodem modo dicerem posse construi ablatiuum concomitantiae, seu associationis, & dicere potuisse isset Terentius: *Ego illo, quo uno rem habebam tum hospite abii huc, sed Terentius dixit: Ego cum illo, quo cum uno rem habebam tum hospite abii huc.* Id. Eun. I. 2. *Io venni qui con colui, col quale solo forastiero io haueuo all' hora pratica.* Et vbiique Terentius, & omnes Latini scriptores semper addunt praepositionem *cum* ablatiuo, qui dicitur concomitantiae, seu associationis. Siper Scioppium quando deest *cum* debet intelligi; quare ergo non possemus associationem, seu concomitantiam perlona, seu rei solo ablatiuo exprimere, & dicere subintelligendam esse praepositionem *cum*, quae deest? sed perlegantur omnes Latini scriptores, & nullum videbimus hanc licentiam sibi vindicasse. Instrumentum in ablatiuo *cum* ponitur, quando non adhibetur & tunc instrumenti nomine amittit, & illud concomitantiae desumit. v. Lat. p. 1099. Ablatiuum modi vult Scioppius a praepositione *cum* regi, quando modus praepositionem *cum* requirit, & eo casu semper exprimitur. Vide Lat. p. 1102. Vult ablatiuum excessus regi a praepositione *in*. Vide Lat. p. 1151. 1156. quando necessario respuit, & quando necessario,

&amp; ex-



& expresse praepositionem *in* admittit. Scioppius in lib. II. cap. 10. vult comparatiuum pro superlativo adhiberi, & promiscue utrumque sine vlla distinctione confundit. Vide Lat. p. 1683. vbi haec materia diffusissime pertractatur, & subtilissime enucleatur. In sequenti c. ii. tollit omnino superlatiuum, & illud confundit cum positiuo, afferens, illud esse amplificationem positui, negansque superlationem, & fere vt ignorantes redarguens Priscianum, Scaligerum, & super hos V allam, & alios, qui de comparatiuo, & superlatiuo fallentia preecepta dedere. Vult esse in genere positui dicere : *Est* doctissimus, quae dictio aequivalet huic : *est* valde doctus, est maxime doctus Aduerbia, vt nos probamus p. 62. moderantur, augent, & minuant orationem. Dicimus etiam nonnulla aduerbia habere vim superlatui, & per ipsa illud quandoque resolui. Vide Lat. p. 1745. & 1752.

Negat I. II. cap. 7. & lib. IV. de Ellipsis praepositionum, dari ablatiuum absolutum, & vult regi a praepositione *sub*, quae subauditur. Quandoque peripherastice a praepositione (*sub*) fateor ablatiuum absolutum posse quandoque conuerti in eamdem significationem, & sensum, vt eo preeceptore multum proficies, & sub illo preeceptore. Illo duce milites semper vicerunt, & sub illo duce, illo imperatore, vel sub illo imperatore multum respublika creuit. Cum huiusmodi dictis valet ablatiuum absoluti resolutio; sed si dicam, illo imperante respublika creuit, non bene conuenit dicere sub illo imperante, vt diciinus sub illo imperatore. Quid dicet Scioppius; si dicam: Te dormiente legebam; poteritne fieri conuersio: sub te dormiente legebam? Videsne quantum a recto sensu haec locutio discrepet? Et in aliis: e. g. Conuocatis omnibus, solus desideratur praefectus, potestne

R

fieri

fieri conuersio sub omnibus conuocatis? Clare patet quantum inepta, & dissona sit huiusmodi locutio, & omnino impropria. Quare fatendum est, dari ablatium absolutum, & nullatenus per Ellipsin regi a praepositione *sub*. Vide Latium p. 1164.

Praetermitto, quidquid ipse contra communem Grammaticorum assertionem dicit de pronomine primitiuo, & possesso; nam satis nos ratione, & auctoritate innixi de his locuti sumus. Vult esse ablatiuos illa antiqua pronomina, *mis*, *tis*, *sis*, cum omnes affirment esse genitios, nam apud antiquos ita flectebantur: Genit. *mis*, datiu. *mi*, accusat. *me*. Vide Lat. p. 47. 1767.

Negat dari verba neutra, quae ipse vocat falso neutra: forsan ipse ignorauerit, quid sit verbum neutrum. Vide Lat. p. 51. Vult omnia verba, & haec, quae ipse falso neutra appellat, & deponentia omnia habere post se accusatiuum, & si expressum illum non habent, subintelligi per Ellipsin. Affert exempla: *Egeo nummorum*, *id est*, *egeo egestatem nummorum*, *ho bisogno del bisogno de denari*. Et dicit alibi: *Egeo nummis*, i. e. *egeo egestatem a nummis*. Ego sic differo: Si egeo egestatem, semper appeto egestatem, & non nummos, quia ego non indigeo nummis, sed indigeo ipsam egestatem. Secundo dico: ad quid repetere egestatem, si ipsum verbum egeo explicat egestatem? Tertio dico, quod debet subintelligi, saepe saepius illud exprimi solet: & apud quos probatos scriptores vnuquam inuenitur dictum: Egeo egestatem? Solemus in aliquibus verbis repetere nomen verbale, & dicere: Viuere vitam, ludere ludum, pugnare pugnam &c. De quibus nos differimus p. 547. & hic sermo, sensus, & significatio optime accommodatur, & tribuitur sermoni vernaculo. Repetitur eo casu nomen

nomen verbale in casu accusatiuo, quia importat actionem, & passionem eiusdem verbi, & illud nomen verbale auget, minuit, aut moderatur actio- nem verbi, & qualificat ipsum verbum: sic dici- mus. Viuo vitam felicem, quietam, otiosam, & infelicem, irrequietam, laboriosam, turpem &c. Quare necesse est repetere nomen verbale, vt expli- cetur integra actio verbi, & indicet, quam vitam vi- uimus. Sic pugnare pugnain leuem, truculentam, ridere risum fardonicum, immoderatum, effusum, fictum, simulatum. Currere cursum effusum, lentum, velocem, tardum. Seruio seruitutem du- ram, dulcem, amabilem, grauem, leuem &c. Licet quandoque utimur ablativo tanquam modi: Ridere risu effuso, risu ficto, simulato: Quo ludo ludimus? &c. Dicimus sermone naturali, & quo- quotidiano: Moereo moerorem tuum, mi attrito del tuo dis<sup>g</sup>usto. Et moereo de tuo moerore, id est, propter tuum moerorem. Doleo dolorem tuum, vel de tuo dolore, i.e. propter tuum dolorem. At non omnia verba neutra possunt importare nomen verbale, nisi quando sensus, & significatio illud re- quirit: Nos dicimus: Pareamus Deo. Quid sub- intelliget Scioppius? pareamus parentiam Deo. Nonne est hoc dictum barbarum? Sicut ipse in ver- bis falso neutrīs. *Madeo pluia*, i.e. *madeo madorem a pluia*. Quis vñquam e Latinis haec dixit, nisi Scioppius? Ne multiplicentur pagellae, vult o- minia deponentia habere natura sui accusatiuum, qui si non est expressus, per Ellipsin subintelligatur, & adducit exempla: *Potiri rerum*, i.e. *imperium rerum*: & quando ego dicam: Potiri alicuius sci- entiae, non bene mihi videtur posse subintelligi: Potiri imperium alicuius scientiae. Potior etiam in hac significatione cum ablativo saepissime, vt in nostro Latio p. 605. vt: Potitus est oppido: quid

subintelliget Scioppius? Aliquando etiam apud veteres cuar accusatio, ut in nostro Latio ibidem. *Cafra potiri. Hirt. bell. Afric.* Tunc Scioppius dicit esse verum casum, qui modo reiicitur; ergo per ipsum male locuti sunt celeberrimi scriptores, qui saepissime huic verbo genitium, aut ablatium tribuere. Dicit ipse tunc figurate eos loquitos fuisse; sed ego affirmo, non semper eandem figuram posse conuenire cum genitio, & ablatio. Potior cum accusatio, (quod modo in vnu non est) per Scioppium habet integrum, & veram significacionem, & constructionem. Cum genitio, & ablatio est mancum, & necesse est, ut aliquid subintelligatur, quando omnes ita loquuntur; Quare facile est cognoscere, Scioppium non bene vaticinatum esse, & a se ipso implicari. Eodem modo dicit: *Recordor tua consilia*, bene dictum, & habet integrum significationem, & constructionem: *Recordor tuorum consiliorum*; vult verbum esse mancum, & subintelligi recordor recordationem, vel memoriam tuorum consiliorum, *io mi ricordo del ricordo, della memoria de' tuoi consigli.* Quis vnam nisi Scioppius ita locutus est? Recordor tuorum consiliorum per Scioppium deficit, & significacione, & constructione. Recordor tua consilia, est integra significatio, & constructio; Ecquis non videt, verbum recordor semper retinere eandem vim, & significationem? Si recordor, iam dico me habere recordationem, & memoriam; quare verbum per se explicat, & non indiget nomine, vt suam significationem demonstret. Cognosce ex his quantum sit vagus, inconstans, & mendax Scioppius, qui dicit, & contradicit, affirmat, & negat in eadem re. Multa contra communem Grammaticorum regulam, & methodum dicit de verbis infinitis, tu consule nostrum Latium, vbi subtilissime, & ad

& ad vnguem omnia examinantur dictis, ratione,  
& auctoritate. Haec satis dicta sint contra Sancti-  
anam Mineruam, quae omnia benigno, aequo,  
& docto Lectori proponuntur, ut vera a falsis di-  
scernat, & uter damnandus sit, damnetur, & re-  
probetur.

## LUDIMAGISTER, SE V GRAMMATICORVM APOLOGIA.

**Q**VAM Graeci scholam, Romani ludum dixere.  
Vtrique nomen ipsi rei contrarium imposu-  
isse videntur. Scholam, i.e. otium, isti ludum ap-  
pellarunt; cum ab eo loco, vbi pueri litteras Latini-  
nas, aut Graecas docentur, omne otium, omnis-  
que ludus omnino expellatur: ni forte otium  
ipsum studere dicatur, quia studentem ab omnibus  
curis vacuum, & in summa quiete versari necesse  
fit; quare nisi otiendo nequeat huic studio opera  
conueniens impendi. Ludum litterarium forsitan  
dictum autumo, vbi est aemulatio quaedam, & fe-  
re continua pròlufio; cum studentes in litteraria  
palaestra belle sine bello inter se decertantes prolu-  
dant. Magister ludi, aut uno vocabulo Ludima-  
gister litteras docens est appellatus. Cuiusque artis  
Praeceptor est, qui certa pracepta dat, quibus rite  
positis, ars non fallit. Magister proprius est, qui  
alicui rei, seu muneri praest. Magister nauis, cu-  
ius est clauum dirigere, & anchorae curam habe-  
re. Magistri vicorum, qui & uno vocabulo Vico-

magistri dicebantur, erant illi, qui vicis praefidebant, & 424. numerabantur: nam totidem erant Romae vici, & ex his singuli vicis praeverant, ne villa in ipsis laesio fieret, vt refert *Cesaubonus in Augusto*; & *Martialis l. X. epig. 79.* & *Sueton. in Augusto cap. 30.* & *in Tiber. cap. 76.* hodierna tempestate vocantur Magistri viarum, qui praeſunt viis. Magistri scripturae, portae & portus, & ripae dicuntur, qui portoria, & vectigalia exigentibus, & sribentibus praeſunt, hodie hi vulgari vocabulo Commissarii appellantur, qui quarumcunque mercium vecturae, & introductioni, qui portoriis, & vectigalibus quarumcunque rerum venalium, omnique rei comedibili, vtrei frumentariae, pecuniae, laniariae, & omni super his ratiocinio praeſunt. Non sunt hi scribae, sed scribis, & prouentibus describendis, & colligendis praeſident: Vocant hos alii Commissarios, alii Camerarios, seu Quaestores vel Gubernatores. Magistri tributorum dicebantur Publicani, qui exigeant vectigalia mercium, & rerum venalium, quae in portum deuechebantur. Magistri equitum, qui in equites, & accensos potestatem habebant. Magister populi erat Dictator, cui summa potestas erat in populum. Ex praemissis patet, Magistri nomen esse honorificum, & potestatem indicans. Hinc dicitus Magister, qui magis, quam caeteri possit, vel qui magis sapiens, vel maior in suo officio dignoscatur. Magister a magis componitur, ex quo fit maior. Hinc dicitur magistratus, qui ex viris maioribus, & dignitate & auctoritate componitur. Hanc notionem volui praemittere, cum omni fere tempore Ludimagister non in eo honore sit habitus, nec habetur, vt nomen, & nominis etymologia illum declarat, & supra nomen officium, i. e. magisterii necessitas, & viri scientia illum commendant.

Hanc

Hanc Cicero nostris, suisque temporibus aestimationem, & honorem huic magisterio per summam iniuriam ademptum iure conquereretur, opinor; & hoc ex similitudine tanto ingenio, tantoque viro digna, quam super hac re intexuit, mihi coniicere fas sit. Omnes mirantur arborem, quam creuerit, in quot sit ramos diducta, quantum occupat aeris, & quantum fructuum, & venustatis in fine continet: non tamen mirantur, haec omnia e soli radice processisse, unde tanta arboris incrementum, & venustatem exorta esse fatendum est. Iden euenit ludimagistris. Ipsi iacent arboris radices, & quo profundiores, eo altior crescit arbor, nempe exurgit discipulus, qui pro tempore ad magnos extollitur honores, & fructibus, i. e. dixitiis, & honestate redundant: Radices iacent humi depresso; scilicet magistri labores, & opera respectu sui in nullo pretio sunt; ni etiam aliquando peius contingat, vt sicut solent conculcari radices, ita saepe saepius, a quo quis incrementum, ni dicam totum id quidquid est, habuerit, contemnatur. Haec Cicero annuere visus est in libro de Oratore: *De verbis enim componendis, & de syllabis propemodum dinumerandis, & dimetendiis loquemur; quae etiam si sunt, sicuti mibi videntur, necessaria, tamen sunt magnificentius, quam docentur.* Est id omnino verum, sed proprietas in hoc dicitur; nam omnium magnarum artium, sicut arborum altitudo nos delectat, radices, stirpesque non item, sed esse illa sine his non potest. Me autem siue peruagatissimus ille versus, qui vetat

*Artem pudere proloqui; quam factites.*

*Dissimulare non finit, quin delecer.*

Grammaticam esse omnium scientiarum fundamentum non est, qui deneget. Fundamenta nullum habent ornatum, intra terram iaciuntur, in-

culta, & neglecta latent, & quo haec profundiora sunt, eo excelsius erigitur aedificium, Supra terram muri, aut illiniuntur calce tectoria, aut marmoreis crustis teguntur, aut marmorato opere exornantur. Idem artis Grammaticae professoribus accidit: eorum opera humilis est, & neglecta; nempe fundamenta nullum habent decus, quando totius aedificii amplitudo, atque altitudo, decus, & splendor fundamentis bene strutis innititur. Docti, atque aliqua scientia instruchi, multis exornantur innumeribus, & dignitatibus. Docentes in nulla sunt dignitate, atque aestimatione: Quare, quod Cicero de Rhetore ait, nos multo melius de Grammaticae institutore dicere possumus. Idem in libro de Oratore: *At dignitatem docere non habet. Certe si quasi in ludo: Sed si monendo, si cohortando &c. Nescio cur non docendo etiam aliquid aliquando, si possis meliores facere, cur nolis?* Nulla inest arti dignitas; ita ut Latinis litteris vtens perquam longe Latinas litteras docenti antecellat. Hoc quidem admiror, artem, & artificem negligi, opera artis, & artificii aestimari. Et cur in opere affabre perfecto faber considerandus non est? Quoties vidiimus magnos viros in sua arte mendicos, quorum opera nunc in summo pretio habentur? Iam e mente, & ex hominum corde decepsit, & omnino decidit illud Aristotelium monitum, Diis, parentibus, & magistris nunquam pro factis pares gratias posse rependi. Vnde quaeso exorta est multorum excellentia, & dignitas? Vnde suum sumptus initium tot virorum eloquentia, & doctrina? Nonne a Latinis litteris, quibus ipsi exornati in quacumque alia scientia floruerent? Nonne omnes, qui in aliqua facultate excellunt, aut in aliqua dignitate, aut regimine eminent, & emicant in optimae educationis, & bona Latinitatis gratiam haec omnia se assuefactos

tos esse fatentur? Nonne Latina lingua est illa, qua  
 omnes viri docti loqui consuecant, & per quam  
 eorum doctrina dignitatem, & auctoritatem sibi  
 conciliat? Quare ergo ita contemnunt Latinitatis  
 magistri, vi nullo gradu, nullo honorifice munere  
 digni censeantur? Si illa respublica, illa ciuitas est  
 valde commendabilis, in qua viri docti gubernacu-  
 la sufficiunt, nam hi velut periti naucleri nauem  
 facile, feliciterque in portum perducunt. Si ad o-  
 mnia munia obeunda idonei ciues, experti praesu-  
 les, & praefecti desiderantur: Vnde isti habentur,  
 nisi ex primo tyrocinio in Latinis litteris posito? Me  
 pudet haec scribere, sed vera scribo: Ludimagistri  
 nomen, quia humile, si non contumeliosum, haud  
 parum a contumelia distat. Memini annis praete-  
 ritis, quibus domi gymnasium apertum habebam,  
 & Latinis litteris erudienda iuuentuti operam da-  
 bam, quodam die, cum de re indebita rogatus essem  
 a quodam, qui se virum nobilem iactabat, aegro  
 animo ferens, immo indignans, me suae petitio-  
 ni non assentiri, ira correptus post multa probra in  
 me congesta, tandem omnia conuicia in unum ver-  
 bum collegit, dicendo: Satis fit dicere, te esse ludi-  
 magistrum; quasi ludimagister sit omnium probro-  
 rum compendium, & inter homines non inurba-  
 nus tantum, sed fere inhumanus, qui parum a Pau-  
 fario differat, cuius officium est in triremi remigis-  
 bus imminere, & damnatis ad remum baculo infila-  
 re, cum Ludimagister ad corrigendos pueros ali-  
 quando scutica vtatur. Haec correctio, & animad-  
 uersio in pueros parentibus, & magistris necessaria  
 est, sed non ob id vtrique dedecori vertitur. Chri-  
 stus etiam Dominus ad nostri exemplum flagella  
 compositus, & illis cicicit vendentes e templo. Ob-  
 idne ergo suam maiestatem, auctoritatemque mi-  
 nuit, an demonstravit? Inter paedagogos, & ho-

mines ultimae conditionis ludimagistri numerantur, nec quid inter ludimagistrum, & paedagogum interfit, distinguitur: ambo promiscuo nomine confunduntur, quia vterque eiusdem notae, & ludimagister, & paedagogus censentur. Primus dirigit mentem, alter adolescentis gressum: ille intellectum instruit, hic pedes obseruat, ne a recto tramite declinet. A quam plurimis professio haec litteraria humili, & quodammodo vilis habetur. Hos ego interrogarem praecipue si nobiles, si summos viros, si masculae prolis parentes, & ab eis quaererem: an vile sit, suos filios Latinis litteris imbu? Si sapiunt, credo, mihi responderent magis, magisque illis iuuenem praeditum nobilitari, illustrioreinque fieri: cum de diuite ignorantis sit in adagio: *Asellus auro onustus.* Si litterae nobilitatem augent, immo in ipsis vera insidet nobilitas, unde suum defumit splendorem: quomodo igitur docendi ministerium erit vile, & ignobile? Patientur principes, aliquique optimates ab ignobili homine suos filios educari? Si hoc exercitium exercitentem ignabilem facit: male agunt, nobiles suos filios apud ignabilem hominem in ignobili exercitio detinere. Philosophantes aliqui dicent ab obiecto artificem aestimationem suam defumere. Nobilior, inquiunt, erit argentarius, fabro ferrario, quia ille circa ferrum versatur: sic ludimagister a nobilibus pueris instruendis decorabitur, ab ignobilibus vilis fiet. Mihi liceat hanc obiectiōnem huiusmodi retorquere argumento: Non magister discipulis, sed discipuli magistro splendorem conferent; plus ergo magister a discipulis accipiet, quam ipse dederit. Nonne manifeste hoc patet absurdum, & quamquam sint discipuli, & sanguine & diutiis, & indole illustres, illustriores tamen a doctrina sunt. Quare hoc est meridiana luce clara



ce clarius, plus magistrum conferre discipulis, quam quantum ab eis ipse recipiat. Secundo patet, Ludimagistri nomen, famam, & aestimationem non a pueris, quos docet, sed a scientia, qua ipse sit praeditus, exoriri. Non enim pluris facio magistrum, qui sit litteris Latinis aspersus, quamquam ei magni equitis, aut principis filii erudiendi tradantur; sed illum plurimi facio Latinis litteris imbutum, licet hic pauperum filiis instruendis operam suam impendat; nam in his saepe saepius mirabilia praefstat, vt quodam loquendi modo, de fletore ad honorificos gradus pauperem eleuet, vt Roma communis mater ex humili loco natis prae scientia multos pri-  
mis etiam dignitatibus illustrat. Ludimagister ali-  
os docendo locupletat, nam eos habiles ad quaeque  
honorifica, & utilia munia assequenda instituit: se  
ipsum tamen in misera vitae conditione confirmat,  
& praeterquam quod tam molesto exercitio salus  
deprauatur, continuo labore, & paupertate confi-  
citur. Alienis commodis studens, sibi male consu-  
lens non suam, sed potius rem alienam agit, & pro-  
mouet. Si dignitates, & beneficia promerentibus  
danda sunt: Ecquis tam de republica, de religione  
bene meritus, quam Ludimagister? Ecquis plus  
Ludimagistro in Domini vinea laborat? Qui rudes,  
tenellasque plantas in fructiferas quasi noua insitio-  
ne permutat? Ecquis magis ipso doctrinam, bo-  
noscue mores in iuuentum animos instillat? Ecquis  
denique Dei ecclesiae ipso utilior? Hic rem, quae  
mihi contigit, animi ergo remittendi potius, quam  
quae orationi vim faciat, enarrare permittatur.  
Quidam meus amicus, qui in Romana aula erat  
cuidam principia secretis, miserens mei, cupiens-  
que mihi aliquod beneficium, quo humaniore mo-  
do vitam transfigerem, & me huic docendi iugo  
subtraherem, hortabatur, vt aliquando vacaturam  
Paro.

Parochiam, aut Canonicatum peterem; a prima  
semper abhorri: Canonicatum vero in patria obti-  
nere potuisse etiam vltro, & gratiose mihi a sum-  
mo Pontifice oblatum; At quid! non meum, seu ali-  
enum infortunium, quid inquam alienum? maiorem  
in partem meum, quia meorum, ab illo me absterru-  
it, dum meorum mala fors saceret, vt & ego malam,  
immo peiorem in patria fortem habiturus essem,  
si Canonicatus pertenuis meis, meorumque levandis  
misericordiis, non satis futurus erat. Malui potius absens  
audire, quam praesens eas videre calamitates, quibus  
consulere nequirem; & quamdiu pro viribus, pro  
valetudine potui, collum tam duro docendi litteras  
iugo libenti animo subdidi. Nihilominus amicus  
blandis, magniloquaque verbis, vt aulicorum mos  
est, magnam mihi incutiebat spem, quam meo me-  
rito maiorem agnoscens, mihi nunquam in animo  
fuit petere, quod supra meritum esset: institit ta-  
men, vt quas haberem publicas, & solemnies scri-  
pturas, quae de me, & de meis rebus gestis, & de  
mea scientia testimoniorum facerent, sibi aperirem.  
Vt ei morem gererem, ostendi in primis libellum,  
i. e. sacram representationem apparitionis B. Ma-  
riae virginis in agro Sauonensi Antonio Bottae, sim-  
plici, proboque colono; hanc in mea adolescen-  
tia in lucem protuli ex Genuensis typis. Ostendi  
quoque alium librum Romano prelo impressum,  
nempe historias Sauonae meae Patriae in compen-  
dium redactas cum Elogiis Illustrium virorum Sa-  
uonensium. Ab hoc ei legendum praebui in rebus  
Grammaticis librum inscriptum; *Emanuele diluci-  
dato* in duos tomos diuissimum, quos sub eodem pre-  
lo discentibus, atque docentibus communem feci.  
Subinde legenda dedi plura Latina Elogia, Ana-  
grammata, & Epigrammata Romanis typis com-  
missa. Sub haec prodidi litteras testimoniales, me-  
fun-

SEV GRAMMATICORVM APOLOGIA. 29

functum fuisse per biennium in Insula Corsica , in Dioecesi Aleriensi , munere Vicarii generalis . Alias publicas litteras ab Episcopo Sauonensi subscriptas , facientes fidem de meis moribus , de scientia , & de facultate ad biennium mihi data audiendi Sacra mentales confessiones , non multo post cum fueram Sacerdotio initiatus . Alias itidem protuli publicas litteras ab Vniuersitate Sauonensi datas , testantes , me Latinae , & Hetruscae eloquentiae , nec non historiis describendis , aliisque facultatibus operam nauasse , orationes panegyricas saepe saepius in ea vrbe , & alibi habuisse , praeter has , alias ostendi Romae in diuersis templis , & solemnitatibus habitas etiam extemporaneas , vt his ultimis testimonium in scriptis praebuere , qui me concionatori designato , & ex repentina causa impotenti subrogarunt illiusque partes iteratis precibus me alias expertum supplere coegerunt ; ne in pleno auditorio desiderata concio deesset . Tandem patentes litteras explicui , quibus mihi facultas litterariorum ludum aperiendi , humanioresque litteras docendi irrogabatur . His ultimis visis , inquit amicus : Et quid est hoc ? Transimus ab equis ad asinos , e Vicario generali , e concionatore ad ludimagistrum , cum credebamte ad maiora progressum , ad minora descendis . Nonne te pudet has ultimas litteras exponere , quae omnia supra ostensa obrumbrant ? Praenarratis haec non sive astringunt , nec firmant , sed quoddammodo infirmant , & dubiam rem faciunt , volueritne alicuius meriti vir e Tribunali , e Curia , e rostris ad paedagogium desilire ; aut hae ultimae patentes litterae supra relatis in hanc partem sive derogabunt , te non fuisse talem virum , quem te illae declarant . Has quaeso praetermitte , & reconde . Ehu me fatuum , & infelicem exclamando subieci : his ultimis magis , magisque praemissa rata , non irrigita



rita facienda duxi. Docendone igitur nihil ego  
comeritus sum, & dum aliis prodeste studui, mihi  
obesse potuerim? Respondit amicus: nescis illud  
Adagium; *Litterarum radices amarae, fructus  
dulces.* Cum te iuuentuti instruendae dedisti, du-  
ram prouinciam suscepisti. Ludimagistri consideran-  
turi in arbore, velut radices. Fructus folet esse  
discentium: facilis iuuenis doctus promouebitur,  
quam magister docens?

Dicet hic aliquis: Quorsum haec scribis? Ambi-  
tione tua calamum, mentemque exacuit, vt tuam  
causam dices, atque proferres, cum Grammati-  
cos tueri, eorumque causam agendam suscepisse vi-  
dearis? Fateor ego in primis me omni officio, omni  
munere indignum, & haec ex ioco potius, quam  
serio attigisse; nec me supra id, quod sum nihili ho-  
mo, facere praesumo. Tantulo meam Deus lu-  
mine mentem illustravit, vt facile cognoscam, so-  
lam Grammaticam, nisi sit prudentiae, & alicui  
alteri facultati coniuncta, non satis esse, vt digni-  
tates, & praelationes obtineat, quae potius bonam,  
integrarumque mentem, consiliis prouidam, quam  
litteris tantum exornatam requirunt. Hanc qui-  
dem Apologiam scripsi non pro me, Latinis litteris  
colorato, sed pro omnibus illis in Grammatica praef-  
stantibus, qui erudiendae iuuentuti operam nauant,  
vt aliquo beneficio ornati, sibi decus, aliisque incita-  
mentum preeferant, cum eos video in ordinem co-  
gi, qui tam de republica bene meriti sine merito ia-  
cent, ita vt de iis dici possit, quod Iuuenialis Saty. I.  
I. I. scripsit.

*Probitas laudatur, & alget.*

Mirum non sit, si per pauci inueniantur, qui Magistri  
appellandi, & habendi sint, cum deficiente pree-  
mio defint, qui onus sine honore subire velint. Di-  
ces quam plurimos inueniri ludimagistros; sed ple-  
ros

rosque perspicio sine doctrina; ita ut doceant, quae ignorant, & saepe saepius docentes doctore indigent. Perpauci litterati hoc exercitium tam humile, & peregrine; summeque laboriosum amplectuntur, nisi forte eos paupertas, & inopia cogat, vt Valerius Maximus lib. VI. cap. vlt. ext. 6. scripsit de Dionysio Siciliae tyranno: *Dionysius, Sicilie ty-  
rannus, maximarum opum Dominus, exercituum  
dux, rector classium, equitatum potens, propter ino-  
piam litteras puerulos Corinthi docuit.* Obserua historicum, quomodo consulte praenarrat primos titulos, primamque Dionyssi fortunam, & ex tanto culmine ob inopiam descendisse ex tyranno, ex ditissimo ad ludimagistrum. Dignus tamen fuit, qui fieret ex principe Magister, vt cunctos mortales doceret, nunquam in eodem vestigio stare fortunam, & eius vicissitudinibus ditissimum quinque obnoxium esse. Et de eo Ouidius lib. IV. de Ponto cecinit.

*Ille Syracusia modo formidatus in vrbe  
Vix humili duram repulit arte famem.*

Non tamen Dionysius dedecori sibi duxit, e regno ad ludum litterarium commigrasse, e regia ad paedagogium suum transtulisse dominatum; quare quibusdam cum visentibus, & admirantibus tantam in rege mutationem, dixit. *Et hic regnare est.* Regnum non amiserat, sed commutarat: quod olim in homines, in pueros deinde exercebat imperium. Idem Cicero in lib. III. Tuscul. q. ad huius regis exemplum licet non Grammaticae, sed Rhetoricae in suo Tusculano ludum aperire non erubuit, & scribens Paeto in lib. IX. ep. fol. 18. ait: *Cum essem otiosus in Tusculano, propterea quod discipu-  
los obuiam miseram &c. quod ut Dionysius tyran-  
nus cum Syracusis expulsus esset, Corinthi dicitur  
ludum aperuisse;* & in eadem epistola haec identi-  
dem

dem leguntur: *Ego, sublatis iudiciis, amissō regno forensi, ludum quasi habere coepī*. Ibidem expēnde illa verba (*Regno Forensi*) Vbi in foro, in agendis causis quasi regnum obtinuerat, ibi orandi princeps, & in sua arte peritissimus quisque principatum sibi vindicat. Quare inter magistrum, & magistrum distinctio admittenda videtur. Si Cicero tantis functus honoribus, vir consularis, & consulatu insignitus, in omni re publicae utilitati intentus, quasi ludum in suo Tusculano habere coepit. Mihine forsan per plures annos ludum aperuisse, & adhuc in domibus priuatis Grammaticam, & Rheticam docere pudori, ne dedecori dicam, esse poterit? Decidamne ex illa aëluminatione, quam aut in digniore officio habui, aut in magis honorofico munere subeundo habiturus essem? In docendo forsan minor factus sum, & non amplius ille, qui aliquando fui? Nonne hoc videtur litteris suum derogare honorem? Qui per litteras merui, aliquem referre gradum, per litteras doceo alios ad maiora concendere.

Non desunt aliqui, qui contemnentes, vnde primum suae eruditio[n]is lac[ri]mari, illa vulgari contumelia suam matrem, nempe Grammaticam improbant his verbis: *Purus Grammaticus, purus asinus*; quasi qui in sola Grammatica constiterit, & ultra non sit progressus, pro ignorantie haberri debeat. Dicat mihi quae[m] iste vir doctus tam suae matri injurius. Si aliquis daretur in solo Latino sermone optime versatus, hac aselli nempe ignorantiae contumelia notandus esset? Vnde Latinos Oratores, Poetas, Historicos, caeterosque Latinorum Scriptorum libros interpretari didicerit, nisi ex sola Grammatica? Hocne aselli, ignorantisque erit, omnes Latinos libros sine vlo offendiculo percurre-re, & totam Latinam prouinciam inoffenso pede per-

peruagari? Grammaticus non tam intra angusta  
confinia coarctatur, vt poësim non comprehendat,  
telle Seneca epist. 88. *Grammaticus circa curam ser-  
monis versatur, & si latius vult, circa historias:  
tum ut longissime fines suos proferat circa carmina.*  
Tanti nostra tempestate fiunt Hetrusci Poëtae, vt o-  
missis Latinis litteris, paene omnes, etiam nonnulli  
optimae litteraturae expertes, huic generi Hetruscae  
poësis se dent; adeo vt perpauci Latini Poëtae no-  
men suum dederint illi tam celebri Academiae, nu-  
per Romae erectae, vulgo Arcadia appellatae, quae  
per totam Italiam in numero fere Academicorum  
numero breui tempore diuagata est, quorum opera  
rhythmica, metrica, & soluta in plures tomos col-  
lecta, innitente pereruditio litterarum, litteratorum  
que amatore Ioanne Mario Crescimbeni in anti-  
quissima, venerabilique S. Mariae in Cosmedin di-  
gnissimo Archipresbytero, huius Academiae antefi-  
gano, recenter typis Antonii de Rubeis in lucem  
edita fuere. Si nostra tempestate inquam tanti fi-  
unt Hetrusci poëtae, nonne pluris habendi erunt  
Latini, eorumque carmina, quorum pedes certa le-  
ge ligantur, & quanto excellentior Latina lingua  
super caeteras eminet, quae omnium regum, po-  
pulorumque consensu primatum, & principatum  
obtinet, vt in ultimis pacis capitulis anno 1714. in op-  
pido, vulgo Radstat, inter Europæ principes fir-  
matae hoc vnum fuit ex parte Caroli Sexti Impera-  
toris aduersus Ludouicum XIV. Regem Galliae,  
qui pacis conditions, & pacta sua Gallica lingua  
expresserat, ne villa Latinae linguae iniuria facta fu-  
isse crederetur, & ne illo pacto hic Galliae abusus  
Posteris transiret in exemplum, & Latinae linguae  
noceret, & nunquam probari, alligarique posset,  
eam de suo iure, de sua super caeteras linguas praæ-  
latione, de suo principatu cecidisse, aut illo modo

ces-

cessisse, quia ut Germania, sic Gallia suas pacis conditiones latine declarare debuerat. Haec est illa Latina lingua, quae tribunalium, quae principum maiestatem prae se fert. Haec est illa lingua dominans, quae teste Liuio, ubique terrarum sola exaudiensbatur a Praetoribus Romanis, licet illius regionis linguam callentibus, dum per Latinum interpretem potius responsa accipiebant, quam alienae linguae licet cognitae, & bene intellectae audire sermonem, ut etiam testatur Valerius Maximus lib. II. cap. 2. de Magistratibus, atque institutis. 2. Magistratus vero prisci quantopere suam populique Romani maiestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter cetera obtinendas grauitatis indicia, illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Graecis unquam nisi latine responsa darent &c. per interpretem loqui cogebant non in urbe tantum nostra, sed etiam in Gracia, & in Asia: quo scilicet Latinae vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Idem Cicero in Verrem Actione 6. sub finem fatetur, se accusatum fuisse, quod in Senatu Graeco verba Graeca habuisset, & non Latina, quasi in hoc violata esset Romani imperii maiestas, haec sunt Ciceronis verba: *Ait indignum facinus esse, quod ego in Senatu Graeco verba fecissem, quod quidem apud Graecos graece locutus essem, id fieri nullo modo posse.* Cum anis, ut habemus a Tito Liuio D. 4. lib. X. honoris causa speciali priuilegio publice latine loqui fuit indulsum, sic Historicus: *Cumanis eo anno potentibus permisum, ut publice latine loquerentur, & praetoribus latine vendendi ius esset.*

Si in tanto honore est lingua Latina, ut linguarum regina habeatur, ab effectibus causam dignoscere fas est. Quantum Latinae linguae decus tribuitur, tantumdem, ni maius ludimagistris tribuere

par



par est. Tenuissimam, nulliusque dignitatis nonnulli Grammaticam arbitrantur, cum circa res exiles, minutasque versetur: Hoc idem praefat Philosophia, & tamen non contemnitur, audi Senecam in epistola 88. *Philosophi quoque ad syllabarum distinctiones, & coniunctionum, & praepositionum proprietates descenderunt, & inuidere Grammaticis, inuidere Geometris.*

Aliquis si non contemnenda, quia necessaria Grammatica, saltem prae aliis scientiis nullam obtinere dignitatem videtur; & quantum interest inter famulum & dominum, tantum interesse inter hanc & alias scientias putant, quia ista famulatur, & scientiis acquirendis inferuit, & ob id nulla nobilitate honestatur. In primis paritatem non admitto; cum Grammatica neutquam famuletur, & nullatenus seruili humilitate notanda sit. Properanti enim ad scientias a Grammatica primus cursus exordiendus est, & ab ea nou, vt a famula, sed veluti a matre suum desumit initium, incrementum, & decus. Quare non illi hanc seruilem notam inurendam, omni iure affirmo. Grammaticam considero veluti in semine arborem, in puerō virum; nec vir esse potest, qui non fuerit puer. Qui non habuerit exordium, nec medium, nec finem assequi poterit. Dicuntur ob id elementa Grammaticae, quia omnes scientiae a Grammatica suum deducunt initium; Vel sicuti elementis viuimus, sine Grammatica, sine recta, & pura loquendi ratione, scientiae apprehendi non possunt. Grammaticam cum Philosophia, cum Theologia, cum quauis speculativa facultate non confero, nec litteras esse scientiam affirmo, sed in litteris quamcumque scientiam consistere, omnes iure fatentur. Ligna & tabulae non sunt nauis, sed sine lignis, & tabulis nauis non efficitur. Si Grammatica non est scientia, erit tamen materialis pars scientiae, vt pars nauis sunt tabulæ, & li-



gna. Dicet hic aliquis non partem materialem, sed formalem esse in quacumque scientia attendendam, materiam operis structurae nullam excellentiam conferre, ut argillaceum vas, quod a forma, & non a materia suum pretium, sicutque aestimationem defluit. Non ego materiam contemnendam puto, quae quo pretiosior, eo pretiosior fiet & forma; pretio enim maiore augetur argenteum vas, quam eiusdem structurae, eiusdem artificii argillaceum. Quo quis erit perfectior Grammaticus, praeterquam quod eo aptior fiet ad omnes scientias, eo & maius erit perceptae scientiae ornamentum; ita ut & lingua Latina eodem tempore illustretur, & illustretur, det, & accipiat splendorem. Quid enim dicetur de Philosopho, aut Theologo Latinae linguae imperito? Idem puto dicendum de eo, qui se scire praefumat, & loqui nesciat. Optimus Grammaticus in quacumque scientia, & quaecunque scientia in optimo Grammatico nobilitatur, sicuti multum interest pretiosissima gemma in plumbo, an in auro vincitur. Si tanti est dari optimos Grammaticos, cur ergo hos debito honore non prosequemur?

Eo tempore, quo litterati praemiis, & honore afficiebantur, erat illud saeculum, quod aureum, quod argenteum appellatur, & deficiente praemio in ferreum declinauerat, & Grammatica ars, ut corpus sine cibo sere defecerat, & Latina lingua in barbaram transferat. Hanc distinctionem saeculi aurei, argentei, & ferrei videtur Plinius Secundus non admittere, cum omni aetate natura viros produxerit, qui & studio, & ingenio floruerint, nec a primo saeculo, quod aureum vocant, subinde facta sit natura sterilis, ut omni tempore aliquos viros in hac facultate laudabiles non pepererit. Hoc temporum vitium est, ut praefentia contemnamus, & antiqua laudemus, atque probemus. Sic idem Plinius lib. VI.

epist.



epist. 21. *Sum ex eis, qui miror antiquos, non tamen, ut quidam temporum nostrorum ingenia despicio; neque enim quasi lassa, & effeta natura nihil tam laudabile parit.* Testatur tamen idem Plinius litteras perituras fuisse, vitio non tam temporum, quam Imperatorum, qui in delicias, & libidines profusi, litteras, & litteratos exosci eos prescripserant, nisi Traianus Imperator eas resouisset, & quasi in nouam vitam reuocasset largis praemiis, & honoribus litteratos complectens; sic ipse lib. III. ep. 18. Curio Seuero scribit: *Mibi hunc honorem habitum putem? an studiis? studiis malo, quae prope extincta resouentur.* Et apertius id affirms in Panegyrico ad Traianum his verbis: *Quid vitam? quid mores iuuentutis, quam principaliter format? Quem honorem dicendi magistris, quam dignitatem sapientiae doctoribus habes? ut sub te spiritum, & sanguinem, & patriam receperint studia, quae priorum temporum immanitas exiliis puniebat, cum sibi vitiorum omnium conscius princeps inimicas vitiis artes non odio magis, quam reverentia relegaret.* At tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes. Non satis superque est Traianus Diis proximus laudandus, qui & litteras, & litteratos, dicendique magistros, & philosophos in Vrbem reuocauit, procul illa exulantibus, & impellente necessitate ad sustinendam vitam vilissima munia obire coactos: *Quos praedecessorum virtutia, & saeuitia elecerant, huius imperantis virtus, humanitas, & liberalitas non tam exceptit, quam ad meritos euexit honores.* In eamdein rem, & in tanti Caesaris laudem Iuuenialis septimam satyram edidit.

*Et sper, & ratio studiorum in Caesare tantum.*

*Solus enim tristes hac tempestate Camaenas*

*Respexit, quem iam celebres, notique poëtæ*

*Balneolum Gabiis, Romæ conducere surnos*

*Tentarent, nec foedum alii, nec turpe putarunt  
Praecones fieri &c.*

Nulla eo tempore litterati ab Imperatoribus electi, a plebe neglegti emolumenta inueniebant, nec in vlo erant honore, quos non tam odium (vt dixit Plinius in Panegyrico) quam reverentia, id est, timor relegauit: timentur enim illae artes vitiis iniimicæ. Quare extra vrbe Gabiis (huius excisae vrbis extant ruderata monumenta in via Praenestina inter oppida Columnam, & montem Portium in loco, qui dicitur, *Campus Gabius*, duodecim milli passuum procul ab vrbe Roma) balneariam agebant, & Romæ furnariam exercere tentabant, nec sibi dedecori ducebant praeonis officium subire, vitamque per fôrdidum quaestum tranfigere. Quam fuerit exigua merces tunc temporis Grammaticæ magistris persoluta, & quam male tanti compensati labores in eadem satyra paulo post conqueritur idem Poëta.

*Quis gremio Enceladi, doctique Palaemonis affert,  
Quantum Grammaticus meruit labor? Et tamen  
ex hoc*

*Quodcumque est (minus est autem quam Rhetoris  
aera)*

*Discipuli custos praemordet Acoenetus ipse,  
Et qui dispensat frangit sibi: cede Palaemon,  
Et patere inde aliquid decrescere, non aliter  
quam*

*Institor &c.*

Fuere Enceladus, & Palaemon docti Grammatici; hic secundus fuit, ille Rhemnius Palaemon Vinctinus Grammaticus, quem Tranquillus de claris Grammaticis refert eo arrogantiae, & superbiae deuenisse, vt diceret litteras secum natas, & secum morituras, & super caeteros suam ita iactabat litteraram, vt appellaret Marcum Varronem porcum literarum.

SEV  
rarum.  
set inte  
cadt.  
bres La  
quit, d  
erat m  
non ar  
netus p  
tabatu  
idemq  
praece  
seratio  
Cede  
tibi al  
empli  
mittit  
simag  
ire, &  
dem

Ra  
No  
mag  
psi, v  
eiusc  
ratio  
Hac  
ad al  
volu  
non  
mag  
man  
dim  
exo  
scia  
cell  
rafi

rarum. Interrogatus hic quodam die, quid interef-set inter Gutta & Stilla, respонdit: Gutta stat, stilla cadit. Quid retulere ex sua arte hi alioquin celebres Latinae linguae professores? Quis, Satyricus inquit, detulit his mercedem tanto labore dignam? & erat merces minor exigua mercede Rhetoris, quae non argento, sed aere persoluebatur. Et tamen Acoenetus paedagogus, qui discipulos ad scholam comitatatur, aliquid ex mercede magistri sibi praecidebat, idemque faciebat oeconomus, cuius erat stipem praceptorи ergare. Quare poëta quadam commi-  
seratione eundem solatur Palaemonem his verbis:  
Cede Palaemon de iure tuo, & aequo animo patere  
tibi aliquid de mercede diminui ad mercatoris ex-  
emplum, qui aliquid de condicione pretio ementi re-  
mittit. Hoc peius erat, ut infra idem testatur poëta,  
si magister sibi satisficeri volebat, saepe saepius in ius  
ire, & coram Tribuno iudice constitutam merce-  
dem postulare cogeretur.

*Rara tamen merces, quae cognitione Tribuni.*

*Non egeat &c.*

Nostra tempestate plus musico, quam ludi-  
magistro tribuitur: sunt ita mores ad mollitiem la-  
psi, ut viri nobiles pluris musicos modos, cantum,  
eiusque flexiones, quam optimam Latini sermonis  
rationem, & quamcunque ingenuam artem faciant.  
Hac dulcedine, corruptelaque animi illecti facile  
ad alia vitia trahuntur, & hanc perniciem non tam  
volunt, quam etiam magno emunt; inde mirum  
non est, si voluptuarius homo in aulis principum sit  
magis acceptus, liberaliusque tractetur, quam hu-  
manarum litterarum magister. Magis aurium blan-  
dimenta expetuntur, quam viri litteris, sciencisque  
exornati. Non minorem hinc Tibi Sulmonis, Ru-  
sciani &c. MARCE ANTONI BVRGHESI, Ex-  
cellentissime Princeps, gloriam, & laudem compa-  
rasti, qui ad tuos natos optime educandos, libera-

libusque artibus, & scientiis instruendos, litteratos, sapientesque magistros etiam ab exteris regionibus nullis parcens impensis adsciuisti, in quibus admiror praestantissimum, sapientissimumque tot voluminibus a se in lucem editis satis superque celebratum, omnigenae scientiae callidissimum Patrem Ignatium Hiacynthum Amat de Graefson, sacrae facultatis Parisiensis Doctorem, Collegii Casanatensis in vrbe Theologum ex ordine fratrum Praedicatorum, qui Exc. D. Franciscum tuum dignissimum filium philosophia speculativa, & Ethica, & Theologia, & Ecclesiasticis historiis, earumque controversiis dogmatice, methodice instruxit, & expoliuit. Quantum ipse sub tanto Doctore profecerit, argumento extat vtramque philosophiam in partes, & in viuierum publice in Collegio Mineruitano non semel defendisse, & Theologiae lauream doctoralem in Archigymnasio Sapientiae, vix plenam pubertatem egressum, mira cum laude fuisse affectum, & breui in Pontificio, & Caesareo iure altera doctoris laurea decorandum. In mei electione vero ad hunc, & Exc. D. Iacobum eius germanum fratrem Latinis litteris imbuendos, Excellentissime Princeps, aut tua Te opinio, aut alienum confilium fecellit; dum haec electio in mei honorem potius, quam in eorum commodum celsit, quantuluscumque tamen in arte Grammatica sim, totus in illis erudiendis fui. Non hic te silentio praeterendum puto, Excellentissime D. Iacobe, qui binis philosophiis speculativa, & morali instructus, Mathematica, Geographia, & profana historia expolitus nulla praetermissi studia, que praeclarissimum equitem, & principis filium decorare possint. Et quid dicam de Exc. D. Paulo, qui licet natu minimus eadem sui D. Iacobi fratris vestigia, & doctrinam sequutus, licet aetate, non tamen ingenio, & sapientia



## SEV GRAMMATICORVM APOLOGIA. 41

tia minor illo dignoscitur. Denique tibi gratulor Excellentissime Princeps D. Marce Antoni, qui filios indole, & ingenio praestantes sortitus es; sed magis, magisque gratulor, quod eos omnibus virtutibus, bonis artibus, & scientiis instruendos attentissime curauisti. Non satis fuerat, eos a natura excellenti ingenio ornatos fuisse, nisi optimi parentis cura, & solertia a Magistris eruditione claris eos scientiis imbuendos inuigilasset. Natura perficitur arte; si altera alteri non accedit, altera sine altera perit.

Fateor plurimos in Latinis litteris praefantissimos viros beneficiis, & largis stipendiis fuisse honestatos, vt Sanctissimus D. N. Papa CLEMENS XI. litteratorum Princeps & Pater multos ex his dignitatibus insigniuit. Et non mihi restrictione, vifis aliquibus ex meis Latinis impressis compositionibus soluta oratione, & ligata, & postremo viso elogio cum duodecim purissimis anagrammatis ex suo nomine litteraliter depromptis, suaque gesta exprimentibus in lueem editis, sponte mihi animatum fecit, si nollem Sauonae, in vrbe Genua, & in tota Liguria Canonicatum, aut aliud vacans beneficium petere, promittens, se mihi in omnibus fore gratiosum. Principis mili gratia, & liberalis voluntas non defuit, sed adverfa fors oblitus. Inter Ludimagistros nonnullos, sed raro exemplo, & quadam cum populi admiratione, legimus ad aliquam dignitatem euctos, in his fuit Ausonius, Ausonius inquam, Gratiani Imperatoris in Latina lingua magister, vt in sua pereleganti oratione discipulo gratias agit de Consulatu per litteras obtento. Si multi inuenirentur Ausonio, & scientia, & professione parens, multi credo inuenirentur, & dignitatibus decorati. Symmachus lib. I. ep. 21. eidem Ausonio de dignitate obtenta gratatur, & inter ea-

C 5 tera



tera haec illis scribit: *In te videmus ibi esse praemia honoris; ubi sunt merita virtutis.* Gaudetque per litteras veluti per quosdam gradus ad sufficienda regimina litteratos ascendere: *Quia iter ad capessendos magistratus saepe litteris promovetur.* Et multo magis gaudet, quia aliis erit incitamento ad bonas artes, litterasque colendas: *Multi post bac admittentur artes bonas, & laudis germanas, & meras litteras.* Miratur tamen, multos principes nullum suis magistris detulisse honorem cum censi, ut Alexandrum Magnum, cum omnium rerum potitus esset, in omnes liberaliem, Aristoteli magistro suo nullum suae liberalitatis, gratique animi monumentum reliquisse: miraturque alios suminos viros magistris suis non eas retulisse gratias, quas debuissent: *Sin ignoramus magnum illum, cuius supra votum fortuna fluxit Stagirite suo nibilum commodasse, nisi Quinto Ennio ex Aeternis manubii captiuam clamys tantum muneri data Fulvium decolorat.* Enimvero neque Panaetio Africanorum secundus, neque Oppilio Rutilius, vel Cyneae Pyrrhus, aut Metrodoro suo Mithridates Ponticus liberalium disciplinarum pretia soluerunt &c. At nunc eruditissimus Imperator, & opum largus, & honorum, quasi provisura tibi praemia detulerit; ita super fortēm foenoris reddit. Non defuere tamen inter Catholicos Principes, qui suos magistros & infulis, & galero purpureo insigniendos curauerunt, ut Caroli Quinti Imperatoris Magister inter Cardinales adscriptus, Pontifex postea maximus renuntiatus fuit Adrianus Sextus. Hi fuere horum discipulorum magistri, ni dicamus de aliquibus ex ludo litterario ad aliquem gradum promotis fuisse, potius fortunae munus, quam professionis praemium. ut Iuuenalis ait Sat. 7.

*Si fortuna volet, fies de Rhetore consul,  
Si volet haec eadem, fies de Consule Rhetor.*

Ego

Ego tamen ne ingrati animi crimen subeam, fateri debo, vnum intuenisse de me optime meritum, nunquam satis honoris causa nominandum, Excellentissimum D. Principem MARCVM ANTONIVM BVRGHESIVM, qui me in Collegium Sacerdotum, magnificentissimo suo S. MARIAE MAIORIS Burghesiano Sacello inservientium co-optauit, cuius gratiam, & beneficentiam nunquam mihi defutaram spero, quem cum tota Burghesia familia, mihi Deus, & Beatissima Virgo seruet in columem, quotidie ad aram rem Diuinam agens omni humilitate supplex exoro.

### III. DE QVIBVS DAM SACRAE SCRIPTVRAE LOCVTIONIBVS, QVAE IMPERITIS ET INDOCTIS PARVM LATINAE VIDENTVR.

**N**Onnulli Grammatistae, & paedagogi temere & audacter improbant varias in facris pagellis locutiones, vt pote a Grammaticorum praeceptis alienas; at hi putido ore, & mente non sana damnant, quae non intelligunt; & non animaduertunt, profunda esse nostrae fidei mysteria, quae ipsi ignorant etiam in ipsa grammaticaliteratura. In Responsorio secundae lectionis post secundum nocturnum Officii defunctorum habemus ab Ecclesia haec verba: *Vbi fugiam, nisi ad te Deus meus?* Isti penitus ignorantes dicunt dicendum fuisse: Quo fugiam. Non obseruant isti respectu Dei nullum dari motum ad locum, cum Deus sit in omni loco: si posset inue-

## 44 III. QVAEDAM LOCUTIONES S. S.

inueniri aliquis locus, in quo Deus non sit, tunc diceretur: Quo fugiam? sed ubicumque fugiam, Deus erit. Huic similis est illa locutio in libro Iudith cap. V. 16. *Ubi*cumque *ingressi* sunt *sine arcu, & sagitta, & absque scutis & gladio*, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit. Id est in omni loco, in quem ipsi ingressi sunt, Deus eorum pugnauit pro eis. *Duc me in viam tua.* (Psalms. XXCV. ii.) id est sis mihi dux in via tua. Sicuti motus, qui fit in loco, ubi sumus, status naturam habet, & ob id dicimus: ambulare in foro, in portico, & non per forum, per porticum. Vbi cecidi, inde surrexi, i.e. inde surrexi, illinc, ex eo loco, in quo cecidi. *Tenebrae non obscurabuntur ate.* (Psalms. CXXXIX. 12.) Vbi est Deus, non sunt tenebrae, cum sit ipsa lux, & relictâ literali interpretatione, allegorica attendenda est; Tenebrae scilicet peccata ante te non erunt in obscuro, sed patebunt. Multa sunt in facris paginis, quae a recto Grammaticorum sensu discordare videntur, sed in ipsa Latinitate mysterium latet. *Descendit hic iustificatus ab illo.* (Luc. XVIII. 14.) Vide p. 1641. (a) *Ebullierunt villae, & agri.* (1 Reg. V.)

Vide

- (a) En verba Cl. Montii in Latio Restituto l. c. quorum nonnulla ex p. 1640, sunt repetenda: Aliquando praepositio *A* vel *Ab* significat pro eo, quod spectat &c. vel pertinet ad rem. Hinc p. 1641. post allegata ex profanis scriptoribus exempla, ita pergit: Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Lucae Euang. c. xviii. 14. In riguardo à quello, posto in confronto di quello, questo andò giustificato à casa, nisi velis dicere fuisse ab illo iustificatum, quasi illum fuisse causam, ut hic iustificaretur; nam illius elatio magis huius humilitateni iustificauit, id est fecit, ut maior appareret in diuino conspectu humilitas istius, & ob id a Deo mereretur iustificari.



Vide p. 778. (b) *Non iusificatur homo compositus Deo,* (Iob cap. IX. 2.) id est positus cum Deo, vel ante Deum, *messo à confronto di Dio.* Vide p. 777. (c) *Ipsé dominabitur gentium* (Psal. XXI. 29.) *Inimicorum suorum dominabitur.* (Pisalm. XI. 10.) & saepe cum genitivo in sacris paginis. Vide p. 427. (d) *Misereor quandoque cum Datino.* *Miserere nobis Domine, miserere.* (Tob. VIII. 6. 10.) & alibi. Vide p. 424. (e) Perraro inuenies in sacra Scriptura Poeniteo, & hoc adhibitum fuit personale apud Veteres Latinos. *In hoc ipso poeniteamus, & indulgentiam eius fuisis lacrymis postulemus* (Judith cap. VIII. 14.) id est poenitentiam teneamus. *Quotiescumque poenituerunt se receperisse a cultu Dei sui.* (Ibidem cap. V. 19.) *Poenitemini igitur & conuertimini.* (Act. Apost. III. 19.)

i. e.

- (b) I. c. sub voce *ebullio* haec habet: hoc verbum significat 1) bullas facere 2) transfertur ad illa, quae instar bullarum cito euaneantur, quare locum ex I. lib. Reg. ita transfert: *Le ville, e i campi in un subito verdeggianti, e in un subito si faccorno.* Et apud Hieronymum, cuius verba p. 779. allegat.
- (c) Ex I. c. hue spectant: componere rem cum re, hominem homini & cum homine, mettere à confronto, à paragone una cosa con l'altra, un'huomo con l'altro. lugurtha, vbi Metelli dicta cum factis composuit, Salust, Iug. *Pose à confronto li detti conti fatti &c.*
- (d) Non p. 427. sed 428. extat: *Dominor cum genitivo frequens, & in sacris paginis, ipsedominabitur tui Gen. IV. 7. Dominare nostri tu, & filius Iud. VIII. 22. Non dominabor vestri ib. 23. Dominabuntur eorum Matth. XX. 25.* & alibi.
- (e) dicit I. c. Antiqui etiam verbis personalibus, misereo, miseresco, & misereor datuum personae dedere. His quoque nonne palam est vltro misereoscere Dinos. Statius I. XI. Theb. misereor tibi puella I. II. controu. 2. & in sacris paginis: Misereor illis, & super illos, frequentius tamen est genitiuus.


id est poenitentia teneamini. Vide p. 754. (f) Veteres Latini adhibebant odio, odis, Odiui, odire, quod etiam in sacris paginis saepe legitur. *Propterea odiui omnem viam iniquitatis* (Psalm. CXVIII. 128.) *Vt odirent populum eius.* (Psalm. CIV. 25.) Vide p. 163. (g) *Audi populus meus.* (Psalm. IL.) pro popule mihi. Vide p. 117. (h) *Memorabor iustitiae tuae folius.* (Psalm. LXX. 16.) Vide pag. 1766. (i) In illo tempore, id est in illa tempestate, qua Christus verfabatur cum hominibus in terris. Vide p. 1203. Secundum Lucam, id est secundum Euangeliū conscriptum a Luca, vel secundum Lucam, id est ex Euangeliō Lucae, ut viuere secundum naturae rationem, id est ex naturae ratione. Haec pauca adnotauī, vt audaciam aliquorum reprimam temere, & insulse dicentium lingua Latinam in sacra Scriptura ad Grammaticorum pracepta non esse attendam. Sciant hi, Diuinās litteras esse, nullo humano iudicio discutiendas, sed deuota mente excipiendas, ne in supremi Numinis indigationem incurrant.

(f) Ib. ait: cum vno casu quandoque reperiuntur, vel cum solo infinito post se. *Et si duarum poenitebit, addantur duae* Plaut. Stich. IV. l. 45. & quibusdam interiectis pergit: *Videntur haec verba* (poenitet, piget, pudet) *quoniam suisse personalia ēc.*

(g) l. c. Odi est ab antiquo odio quartae coniugationis & flebēbant antiqui: odio, dis, diui, ditum, odire, quod saepe usurpatur in sacris pagellis.

(h) l. c. Aliquando per Graecissimum, aut per enallagen vocatiū in us reperitur, & post allegata ex Virgilio, Liuio, & Lucano exempla, concludit: sic in sacris paginis Audi &c.

(i) l. c. Hic dicendi modus etiam obseruatur in sacris paginis: *Domine exaudi vocem meam clamantis ad te. Memorabor &c. tuam ipsius animam pertransibit gladius* Luc. II. 35.







388  
87

AB: 387  
87

VD 18

ULB Halle  
002 401 789

3



VD 18







GASPARIS SCIOPPII  
**MINERVA**  
SANCTIANA  
IMPVGNATA AC REFVTATA  
AB  
AVGVSTINO MARIA DE MONTE,  
SAVONENSE,  
VNA CVM HVIVS  
**LVDIMAGISTRO**  
SE V  
**GRAMMATICORVM**  
APOLOGIA,  
NEC NON  
QVIBVSDAM SACRAE SCRIPTV-  
RAE LOCVTIONIBVS, QVAE IMPE-  
RITIS ET INDOCTIS PARVM LATINAE  
VIDENTVR.  
SECUNDVM EXEMPLVM ROMANVM  
RECENSVIT ET PRAEFATVS EST  
IOANNES ERHARDVS KAPPIVS.  
LIPSIAE  
APVD IOAN. FRIDERICI BRAVNII  
HAEREDES. MDCC XXIII. 4